



Claudii Sesellii viri patricii De republica Galliae et regum officiis, libri duo

<https://hdl.handle.net/1874/388316>

g 2

CLAVDII SESELLII,
VIRI PATRICII,
DE REPUBLICA GAL-
liæ & regum officijs,
Libri duo.

Ioanne Sleidano, Interprete.

Adiecta est summa doctrinæ Platonis,
de Repub. & Legibus.

ARGENTORATI, IN
œdibus Vuendelini Ribelij.

ANNO M. D. XLVIII.

CLAUDIO MONTANO
VIRI PATRICII
DE REVERENDIA
SACRE REGNI
LIBERTAS

Joanne Stabano interprete

Adiecti sunt tituli in
his de Regibus

LIBERTAS
SACRE REGNI

ANNO M. DC. LXXII

SERENISSIMO

Principi, Eduardo, eius nominis sexto, Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Regi, Ioannes Sleidanus
S. D.



INTER ALIAS PHILOSOPHIÆ partes, qui doctrina reliquis omnibus præstiterunt, Plato & Aristoteles, hanc etiam diligenter atq; copiose tractarunt, serenissime rex, quæ civilem societatem & reip. procuratorem complectitur. Nec enim satis esse putabant, ea solum mandare literis, quæ uel ad ingenij cuiuscq; culturam, uel ad formãdos mores, uel ad synceram atq; perfectam animi tum uoluptatem tum consolationem pertinent, sed elaborandum etiam sibi ducebant, quemadmodum publicè prodesse, & eam qua præ

P R A E F A T I O.

diti erant, facultatem ex umbra in a-
 pertum solem proferrent. Hunc es-
 nim ueluti finem suorum studios-
 rum atq; fructū esse uoluerunt. Mo-
 uit eos haud dubie, quòd passim in
 imperijs & magistratu illaudata cō-
 spicerent exempla, quòd pleriq; &
 ambitioni & suæ priuatim cupida-
 ti maiorem, quàm utilitati commu-
 ni operam darent, quòd suis emolu-
 mentis omnia metirētur, quòd fauo-
 rem, odium, gratiam, inimicitiam,
 magis quàm iudicium, rationem ac
 equitatem in consilium adhiberent,
 quòd simulata sepe clementia liber-
 tatem hominibus eriperent, ac re-
 gnū malis artibus occuparēt, quòd
 de dijs atq; religione tum tempo-
 ris nota & usitata, impiè ac irreue-
 renter sentirēt, quòd literis atq; uir-
 tuti minimū deferrent honorē. His
 illi causis excitati, quod & uaria do-
 ctrina, & longo rerum usu, & cōsue-
 tudine

P R A E F A T I O:

tudine atq; conuictu bonorum, & natura duce præstantissimum optimūq; esse iudicabant, memoriæ prodiderunt, et cuiusmodi esse debeat reip. forma, definierunt, ut etiam si sui temporis conditionem atq; statum non emendarent, tamen posteris relinquerent sempiterna sui iudicij monumenta. Nam hi ipsorum libri, quoniam optimis atq; sanctissimis referti sunt præceptis, magno cū fructu & admiratione leguntur, & quandiu studijs literarum suis constabit honos, in doctorum hominum nō bibliothecis modo, uerum etiam sermone, insignem locum obtinebunt. Cum enim naturæ hominum & uitæ civili nihil sit conuenientius aut optabilius, quàm legitimo & æquabili imperio contineri, & quia uim atq; seruitutem omnes oderunt: illi, quid magistratum deceat, & quantopere ipsos oporteat

P R A E F A T I O.

ab omni uel suspitiōe tyrannidis ni-
 miūq; potentię alienos esse, demon-
 strant, & ad moderationem atq; iu-
 stitiam & populi tutelam perpetuo
 hortantur, & quibus indicijs agno-
 sci debeat tyrannus, dilucidè osten-
 dunt, & eos, qui liberum nacti po-
 pulum, in seruitutem redigunt, aut
 alioqui non suum faciunt officium,
 acerbè grauitèq; reprehendunt, &
 non hominem sed feram potius at-
 que beluam uocant eum, qui simu-
 lato pastoris atq; parentis nomine,
 ciuitatē exhaurit, in eoq; tantò plus
 sceleris esse dicunt, quò magis oc-
 cultæ sunt atq; tectę rationes illius,
 qui damnum reipub. infert. Verum
 hæc aliquantò prolixius ego, quàm
 institueram : nunc ad propositum
 reuertar. Præter eos, de quibus di-
 xi, Platonē & Aristotelem, alij qui-
 dam in simili uersati sunt argumen-
 to, & superioribus aliquot annis.

Claudio

P R A E F A T I O .

Claudius Sefellius non inſœlicem operam in eo nauauit. Fuit hic natione Gallus, & iureconſultus ualde celebris, poſt etiam, Epifcopus Maſſilienſis, & Ludouici duodecimi, Galliaꝝ regis, ad Leonem decimum, Pontificem, aliquot annorum legatus, uir cum primis doctus, & cuius extant non paucaꝝ lucubrations. Nam & Thucydidem, & quædam Xenophontis, & hiftoriam Eccleſiaſticam, & alia multa Gallicè uertit, adeo quidem ſœliciter, ut etiam ij, qui Græcæ linguæ magnū uſum habent, plurimū ei tribuant: ſed in leges etiã atq; ius ciuile quædam ſcripſit ac in lucem emiſit. Deſunctus autem multis uarijsq; negocijs publicis, & inſtructus plurimarum rerum ſcientia, tanquam ſuſpellectile quadam pulcherrima, contulit ſe ad ocium & quietem, ut & Eccleſiæ, cui præfectus erat, officio

P R A E F A T I O.

um suum præstaret, & reliquū tempus honestis literarum studijs consumeret. Post mortem uerò Ludouici regis, librum hunc, de monarchia Franciæ, sic enim ipse uocat, Gallico sermone conscripsit, & Francisco primo, ad quem nuper erat, extincto Ludouico, delata regni summa, dedicauit. Nā etsi à curia se remouerat atq; foro, tamen, ut suū erga remp. atq; patriam, amorem declararet, absens etiā regi suo prodesse uoluit, eoq; magis, quòd aulicę uitę morem omnem atq; scatur̄ habebat exploratū, et quàm multis adulatorū illecebris atq; corruptelis expositi sint reges, præsertim ætate minores, non ignorabat. In hunc ergo librum, quicquid est optimorum præceptorum comportauit, & singularem quandam rationē secutus, quæ superioris ætatis atq; etiam nostri sæculi uiri docti tradidissent, non
 sibi

P R A E F A T I O.

sibi putauit huc accumulanda, sed
 praesenti rerum conditioni atq; tem
 pori totum accommodauit sermo
 nem, & quod usu compertum habe
 ret, diligētissimè explicauit. Et quan
 quam Galliae regi peculiariter hæc
 scripta uidentur, tamen ad omneis
 & quæ reges pertinent. Sunt enim res
 ges omnes monarchæ, paucis qui
 busdam exceptis, & sicut nullius im
 perium agnoscunt, ita quoq; sum
 mam merentur laudem, quando le
 gum uincula, quibus populum co
 ercent, sibi etiam induunt ipsi. Hæc
 autem sunt ea, de quibus ille oratio
 nem instituit, officia, quæ regē prin
 cipemq; uirum decent, quæ si negli
 gat, neque lege se putet ulla teneri,
 splendorem atq; gratiam omnem,
 & decus & nomen ipsum regium a
 pud uiros bonos amittit. Tribus au
 tem uinculis author, quicquid est of
 ficij, quod regem oporteat præsta

P R A E F A T I O.

re, complectitur, Religione, Iurisdictione, Politia, & hæc quidem ordine tractat, ipsæ totum librum absolvit. Quod secundum est atq; tertium, adeo copiosè, dilucidè, prudenter explicat, ut cuius etiam, mea sententia satisfecerit: ad primum uerò quantum pertinet, erunt fortasse, qui nonnihil in eo desiderent. sed his cogitandum est, qua uixerit ætate. Scripsit enim hæc ante annos circiter triginta treis, cum in densissimis adhuc tenebris, & illo, quem Plato describit atq; fingit, specu detinerentur hominum mentes. Quod igitur ille scribit, religionem esse regibus diligenter colendam, & hæresim omnem profligandam, & Ecclesiastici ordinis homines in honore habendos, & Apostolicam Ecclesiam præcipuè colendam & obseruandam: uera sunt ista, si recte quis accipiat. Ille quidem, ut tum fuit rerū status, intellexit,

P R A F A T I O .

intellexit, quemadmodum & hodie complures intelligunt, qui Deum existimant, unum aliquem locum, atque personam in Ecclesia uoluisse præ cæteris eminere & esse illustrè. Nos autè uerè ac generatim de rebus atq; personis omnibus interpretemur. Nam & religionem reges colere debent, & hoc officiū inprimis requirit ab ipsis Deus: ut autem uera sit, non fucata, non ambitiosa religio, sed talis, quæ Prophetarum & Apostolorum habeat testimonium perpetuum & immutabile, prouidendum est ipsis. Hæresim nullam reges aut falsum dogma suos intra fines admittent: recte. quæ sit autem hæresis, ut nunc quidem est eius uocis usurpatio, non ex uulgi, uel eorū qui suspecti sunt, clamore ac præiudicio statuent, sed ab ijs libris iudicium petent, qui testimonium ac suffragiū habent ipsius Christi, quòd
à spiritu

P R A E F A T I O.

à Spiritu illo ueri commōstratore di-
 ctati sint, ut ad omnem uitam nos
 bis praeluceant. Viris Ecclesiasticis
 honorem deferent reges: pulchrè,
 si faciant quod est ipsorum profes-
 sionis & ordinis. Nam alioquin ut
 regis est, doctos et pios Ecclesie præ-
 fectos amore ac beneuolentia com-
 plecti, sic etiam eius est providere, ne
 quid populus aliena culpa detrimēti
 accipiat. Ecclesie, uel ut nunc loquū-
 tur, sedi Apostolicæ primus atque
 præcipuus debetur honos, inquit il-
 le. Audio: sed ad persuadendum rem
 tantam, nullum adduci possit ar-
 gumentum efficacius, quàm si eius-
 modi doctrina & uitæ sanctimonia
 & disciplinæ seueritas conspiceretur
 in ijs qui huic loco præsunt, qualis
 fuit in his, qui Siluestrum eius no-
 minis primum antecesserunt. Ex ijs
 enim, ut quisq; fuit & doctissimus
 & innocentissimus, ita minime ho-
 norem

P R A E F A T I O.

norem hunc affectauit. Hæc igitur et id genus loca huic libro admixta, neminem offendant, sed commodè interpretemur: ità nihil erit absurdi. Id autem eò magis faciendum est, quòd ipsemet author, sui temporis inscitiam & luxum & ambitionem grauius reprehendit, & quàm nullus officium suum faciat, demonstrat, & reges ipsos inculcat, quòd indignos populi curæ præficiant, quòd ambitio, fauor, gratia, corruptela, primum locū sibi uendicant in hisce rebus, non secus imò plus etiam quàm in ciuilibus præfecturis. Cum igitur ad eum, de quo dixi, locum, uenietur, non erit subsistendum, sed quæ sequuntur, antecedentibus ac commodare oportet. Satis enim magnam laudem meretur, quòd eo tempore tantum & uidit & ausus fuit pronunciare. Atq; his ego de causis optimum scriptorem è Gallico

P R A E F A T I O.

lico sermone Latinum feci, ac tuo
 potissimum nomini, rex Eduarde,
 dicandum esse putavi. Quamuis es
 nim pulcherrimi regni possessio ac
 hæreditas, à patre tibi relicta sit, ta
 men hoc nomine cum primis es be
 atus, quòd in hac tenera ætate, illa
 quæ uerè sunt et dicuntur bona, tibi
 comparas, eruditionē, optimarum
 què rerum scientiam. Accedit, quòd
 eum habes à patre tibi datum custo
 dem ac moderatorem, qui propter
 insignem uirtutem ac studium pie
 tatis, maximam est, apud exteros e
 tiam, consecutus famā. Quod cum
 ita sit, elaborandum est, ut quas do
 tes & adiumenta & præsidia tibi lar
 gitus est deus, naturæ, ingenij, fortu
 næ, educationis, ea omnia semper ad
 nominis ipsius gloriā & populi tui
 salutem conuertas. Plura non dicā,
 neq; prolixius exhortabor, ne tuis
 doctoribus, ornatissimis uiris præ
 scribere

P R A E F A T I O

scribere aliquid uidear. Hoc unum
 peto, ut n̄s, quos mitto, libris, Comi
 n̄eo atq̄ Seſellio, quorum unus est
 historicus, alter politicus, & nunc
 aliquid temporis impendas, quan
 do studijs literarum totus es addi
 ctus, & in posterum, ubi grandior
 factus, rempub. ipse gubernabis, ut
 truncq̄ tibi familiarem facias. Nec
 enim poenitebit operæ, & nescio an
 ulli extent Gallicè conscripti libri,
 cum his conferendi. quod & ipse,
 cum maius accesserit iudicium, alie
 quando sic arbitraberis. Vale.

Argentorati, mense Iu
 nio, Anno Do
 mini, M. D.
 XLVIII.

manu... f... d... p... r...
l... m... n... o... p... q... r... s... t...
u... v... w... x... y... z...
a... b... c... d... e... f... g... h... i... j... k... l... m... n... o... p... q... r... s... t...
u... v... w... x... y... z...
A... B... C... D... E... F... G... H... I... J... K... L... M... N... O... P... Q... R... S... T...
U... V... W... X... Y... Z...
a... b... c... d... e... f... g... h... i... j... k... l... m... n... o... p... q... r... s... t...
u... v... w... x... y... z...
A... B... C... D... E... F... G... H... I... J... K... L... M... N... O... P... Q... R... S... T...
U... V... W... X... Y... Z...

no Anno
Cl. M. mm
MCLXX

CLAVDII SESELI

lij. de Republica Gallie, & Regum
officijs, Liber primus.



MISSIS PHILOSOPHorum prolixis disputationibus, rem ipsam statim aggrediemur. Administrandæ ergo reipublicæ tria sunt genera, quum uni tantum rei summa permittitur, Monarchiam; quum pluribus atque præcipuis populi, Aristocratiam: ubi uerò multitudinis est imperiū, Democratiā uocant. Ex ijs optimum statum esse putant, Monarchiam, quando princeps est uir bonus & prudens & reip. amans. Quia uerò difficillimum est in tanta potestate, seruare æquitatem: alterum genus, quod est optimatum & hominum delectorum, uidetur esse præstantius & tolerabilius, & firmiore fundamento subsistere, quando uidelicet ex omni multitudine ij præficiuntur, qui uirtute & ingenio maximè antecellunt, nam qui sunt in his uitiosi, reliquorum imperio facile coercentur. Tertium genus,

quod ad promiscuum uulgius pertinet, semper habitum est tumultuosum, & periculi plenum, & uiris praestantibus inimicum. Fit autem, ut Aristocratia commutetur in Oligarchiam, qui paucorum est dominatus, quando ex optimatibus & primis ciuitatis pauci quidam, uelut cōiuratione facta, honores & emolumenta omnia inter se partiuntur, & suas priuatim fortunas amplificare student, neglecta communi utilitate, quam solam & in primis curare debebant. Relinquitur ergo, ut ex tribus nullum genus sit perfectum atq; perpetuum. Temporibus enim omnia mutantur & deteriora fiunt, ac tunc in primis, cum augefcunt & maximè florent. necq; raro fit, ut perturbatione quadam alterum alteri succedat. Exemplo est respublica populi Romani, quæ totius orbis terrarum longè fuit amplissima. Eam initio gubernabant reges, inde consules, postea decem uiri, sed & tribuni plebis, ac postremo Cæsares. Consulium autem atq; Senatus imperium ceteris fuit praestantius & diuturnius. Tunc enim aucta fuit ciuitas perpetuis incrementis. cuius rei causa fuit, mixta & bene tēperata gubernatio.

natio. Consules magnam in plerisque rebus authoritatem obtinebant, præsertim foris, deinde senatus, qui ex optimis lectissimisque uiris cōstabat, summam rerum moderabatur, & tanquam gubernator nauis, clauum tenebat, & quicquid alicuius esset momenti, ad eius cognitionem pertinebat. Populo etiam sua constabat dignitas in suffragationibus & distribuendis muneribus publicis: item, cum de pace, bello, & id genus alijs rebus aliquid statuendum erat. eaque de causa creabantur tribuni plebis, quorum sine consensu ac uoluntate non erant firma senatusconsulta, in eoque senatus ac populi imperio, potissima pars orbis terrarum in ipsorum ditionem peruēnit. Et tamen, si quis omnia diligenter animaduertat, comperiet non fuisse perfectissimam reipublicæ formam. Ex multis unum recitabo, quod parum ab eis prudenter constitutum, labefactauit amplissimum imperium, & ad unius dominatum denuo perduxit, qui et ipse tandem concidit, ac uix nomen adhuc suum tueretur. In initio, post eiectiones reges, quum senatus atque nobilitas nimis magnam sibi potestatem arrogarent: populus qui nullo fe-

DE REP. GALLIAE

re in numero tum erat, grauissimè concitatus ob sui contemptum, secessionem ab illis fecit, & imperium detrectabat, necq; prius reconciliari potuit, quam sui quoq; ratio haberetur, & ut placari posset, multò plura senatus illi, quam oporteret, concessit, ex quo deinde manarunt dissensiones omnes atq; discordiæ ciuiles, quæ perpetuæ fuerunt, sic, ut etiam exortis bellis contra finitimos, uix conquiescerent. quod in regum imperio nunquam acciderat. Sic enim cõparatum est, ut homines uni soli multò libentius quam pluribus obtemperent, quibus sese putant esse pares. Iam, si paululum modò ipsis tribuatur, sensim plura sibi sumunt, ex eoq; magna post oritur perturbatio, quod in populari statu urbis Romæ scimus accidisse, ubi nimirum plebs lasciuebat, tum propter tribunorum potestatem, qui optima saepe consilia euerterunt, tum propter publicorum munerum distributionem & ius suffragiorũ, quoties de rebus arduis discernendum aliquid erat. Nam his in rebus omnibus plurimum poterant largitiones atq; factiones. quò fiebat, ut quidonis & pollicitationibus multum ualerent,

rent, si uiris bonis & reipublicæ studio-
 sis præferrentur. Hi deinde recuperan-
 di causa quod profudissent, & ut ad lar-
 giendum suppeterent copiæ, socios &
 amicos populi Romani expilabant, &
 belli præfectis atque militibus, ut idem
 facerent, permittebant, partim emerem-
 di fauoris causa, partim metu, quòd in
 eadem ipsi essent culpa. Sic igitur uitata
 fuit & omninò dissoluta uetus reipubli-
 cæ forma, quam integerrimi prudentis-
 simiq; uiri olim instituerant, & multis
 sæculis, ad posteros, ueluti per manus
 deductam, seruarunt incontaminatam,
 donec auctis tam priuatis quàm publi-
 cis facultatibus, omne uitiorum genus
 paulatim inundauit, & ciuilibus bellis
 materia subministrata fuit. Nam qui
 uirtute & meritis non poterant hono-
 res atq; dignitates in repub. consequi, si
 multitudinis cupiditati & auribus ser-
 uiebant, & multa communis utilitatis
 mentione facta, hoc solum spectabant,
 ut plebem in senatum inflammarent ac
 ipsi, per eam occasionem oppressis alijs
 regnum occuparent. Hanc rationem se-
 cuti sunt Gracchi, legis Agrariæ inuen-
 tores, quæ magnas excitauit turbas, ex

DE REP. GALLIÆ

eaq̄ postea natum est illud inter Mari-
 um & Sillam, dissidium, quo uehemen-
 ter fuit adflicta respublica. Nam & di-
 sciplina omnis militaris, et senatus pote-
 stas, quam in belli duces atq̄ legiones
 habere consueuerant, hoc ipso interiit,
 eoq̄ deductares fuit, ut qui uiribus et ar-
 mis plurimū possent, n̄ suo arbitrio rem-
 gerent, non militia tantum, sed domi-
 quoq̄ & in urbe, neq̄ iam senatui parē-
 rent, et quos inimicos sibi crederent, eos
 omni genere acerbitatis diuexarent. He-
 cerunt hoc Sylla, Marius, C. Cesar, & eo
 sublato, Marcus Antonius, Lepidus,
 Octavianus, triumuiiri, et hic quidem su-
 os collegas non destitit persequi, donec
 ipsis euersis, imperij summam ad se u-
 num traduxisset. quo quidem in prin-
 cipatu multa designauit in perniciem
 reipublicæ, ac ipsius exemplum securi
 sunt postea reliqui propè omnes Cæsā-
 res. Hęc igitur incommoda nata sunt in
 illo populari reip. Romanæ statu, eaq̄
 non pauci prudentes ac docti uiri, mul-
 to ante quā accidissent, preuiderūt, &
 scriptis quoq̄ sunt testificati, sed impen-
 dentibus malis nō potuerunt mederi. Is
 igitur quem dixi, status, quamuis sit mi-
 xtus, non

Aetate, non potest esse perfectus, quando
 summa rei est penes multitudinem, ac
 longè præstat Aristocratta, cuiusmodi ui-
 detur esse Venetorum respublica, quam
 certus primorum ciuium numerus ad-
 ministrat, in eaq; summus præsidet Ma-
 gistratus, quem Ducem appellant. quod
 ipsum ad Monarchiã aliquo modo per-
 tinere uidetur. populare uerò nihil est
 ibi. Nec enim ullam ibi potestatem plebs
 obtinet, uerum senatui paret in rebus o-
 mnibus, & seueris cohercetur legibus
 atq; decretis. Hac ratione in tantam cre-
 uit amplitudinem ea ciuitas, & contra
 potentissimos sæpe principes imperium
 suum ad hoc usq; tempus defendit. Nec
 enim perfectiorem remp. ulla uidit æ-
 tas, & qui rationes ipsorum perspexerit,
 idem quod ego, sentiet. Neq; tamen est
 nihil quod ibi desideres, & illud quidẽ
 tanti momenti, ut & in summis aliquan-
 do fuerint angustijs ob hoc ipsum, et de-
 inceps quoq; esse possint, nisi caueant.
 Nam sicut corpus humanũ ex quatuor
 cõstat elementis atq; humoribus inter se
 contrarijs, et quoãd rectè se aggregaue-
 rint illi, ualetudinẽ tuetur & auget etiã,
 paulatim uerò, cũ exijs unus aut alter lu-

DE REP. GALLIÆ.

Xuriari cœpit, quod temporis loquinquitate fieri necesse est, in ægritudinem incidit ex illa dissociatione & inæqualitate, cunq̃ uni membro medicinam facimus, alterum lædimus: ad eundē quoq̃ modum, humana societas, quam ciuitatem appellamus, & corpus reipublicæ aggregatum ac cōstitutum legibus, initio quidem crescit & amplificatur, pōst, ubi ad summum euasit, in eodem statu consistit aliquandiu, tandem uerò propter disparem & contrariam eorum, ex quibus constat, naturam, instituta, mores, dilabitur & planè corrui. Vulgò numerari solent quinque gradus humanæ uitæ, infantia, adolescentia, uirilis ætas, senectus, & ætas decrepita. Hunc ad modū uiri quidam docti partiti sunt imperium Romanum, & ceteræ cuiuslibet ciuitatis aut imperij consimilis uideatur esse conditio. Atq̃ ut ad institutum reuertamur, sunt in repub. Venetorum, quæ nisi emendentur, allatura sint aliquando multum incommodi. Exijs præcipuum est, quòd soli nobiles, munera publica, in quibus aliquid est dignitatis & emolumentum, omnia fere, aut maximam illorum partem obtinent, quod res

quod reliqui ciues, in quibus plurimi sunt facultatibus & ingenio præstantes, grauius ferunt, eoq; magis, quò nunc est amplior factus nobilium numerus. Qui uerò in reliquis ipsorum ditionis oppidis habitant uiri nobiles, nullo fere sunt in numero, & publicè minimum possunt, quod eò uidetur institutum esse, ne si cum imperio sint, motum aliquem excitent. Iam, qui Venetias incolunt ciues, consequendi aliquod munus aut præfecturam, spem nullam prope habent, eò quòd aucto, ut diximus, nobilium numero, uix satis est, quod in hos distribuatur. Alterum est, neq; parui id momenti, quòd cum in continente bellum est gerendum, rei summæ præficiunt externos, non autem suæ gentis homines. ueriti, ne qui exercitum habeat in sua potestate, regnum occupet & dominatum inuadat. Natura quidem illi & uitæ instituto plus mercaturæ student quàm scienciæ bellicæ, quò fit ut pauci reperiantur in re militari præstantes. Verum in eo quod diximus, hoc est mali: quòd externi, quos mercede conducunt, non æque sunt erga rempub. affecti atq; ciues, quorum ibi salus agi-

tur. Et quanquam imperatori semper adiungunt legatos, quos sua lingua prouisorum appellant, ad quos omnium consiliorum belli summa redit, & quorum absque uoluntate, nihil ille, quod alicuius sit momenti, constituere potest, tamen non est idoneum istud remedium. Nam quoniam hi, quos diximus, legati, plerumque sunt homines imperiti rei militaris, per se facile est, ut grauissime errent. Deinde, exercitus imperatores, quum illorum se potestati deuinctos, & ipsis parendum esse uident, non ea sunt alacritate, neque fidelem operam praestant. & indignitate quadam commoti, non raro cupiunt maiorem administrari, eiusque rei documenta quaedam proferri possint. Sed & inter nobiles ipsos existunt similitudines. Nam qui originem ducunt ex primis illis reipublicae authoribus, non multo se debere praeferi putant alijs, qui postea sunt in eum ordinem alleciti, ac nunc multitudine superant. Haec duae factiones, de dignitate, deque potioribus reipublicae praefecturis ita contendunt, ut saepe graues inter ipsos oriantur offensiones, dum suis cupiditatibus plus quam utilitati communi seruiunt. Nam animi perturbationibus a-

que

quæ ac reliqui homines, adficiuntur. Quamuis aut nullum adhuc ex ea re magnum incommodum hactenus apud illos extitit, quod prudentiæ quorundam & eximie uirtutis tribui debet: tamen metuendum est, ne tandem, ubi corporis humores, ut antea demonstrauius, nimium aucti fuerint atque corrupti, morbus sese prodat, & adeo quidē uehementer, ut medicinæ non sit futurus locus. Et hæc quidem non eò pertinent, quasi aut meum sit, aut mihi sumam, aliquid in ipsorum repub. uituperare: quæ, meo iudicio, longè est omnium præstantissima, eius quidem generis: sed ut demonstrarem, fieri non posse, quin eiusmodi in statu atque forma reipublice, præsertim si ampla sit ciuitas, plura, quàm in Monarchia, desiderentur. Nam singularis aliquis, qui solus rerum potitur, facilius mederi potest incommodis, quàm multi simul gradu & dignitate pares. natura etiam comparatum uidemus, ut unum aliquem excellenti dignitate, plus reuerentur & obseruent & metuant homines, quàm coactum aliquem numerum delectorum, qui tempore commutantur. Ratio quoque præscribit, in omnibus rebus ad unum alium quem

DE REP. GALLIAE

quem, uelut ad caput atq; fontem neces-
 sario confugiendum, & rem esse ple-
 nam incommodi atq; periculi, cum plu-
 res simul imperium obtinent. quineti-
 am doceri potest, Monarchias, etiam si
 uel interitu principum, uel alio quopi-
 am humano casu fuerūt immutare, diu-
 turniores fuisse & tranquilliores, quā
 uel optimatum uel popularem statum,
 ut in Assirijs & Aegyptijs, & Parthis,
 imò, ut propioribus utamur exemplis,
 in Britannia, Hispania, Gallia uidemus,
 quibus sanè prouincijs nullæ aliæ res
 publicæ, temporis longinquitate con-
 ferri possunt. Deinde, quæ regna succes-
 sionis aut hæreditario iure transferun-
 tur, multo magis florent, ijs, ubi suffra-
 gijs & optione res agitur, ut in Imperio
 Romano satis apparet. Cuius rei hæc
 est causa, quòd malis ferè artibus plæ-
 riq; ad fastigium illud enituntur, & uim
 sæpe faciunt, quod non semel accidisse
 constat, quum Cæsare mortuo, nouus
 erat deligendus. Ac faceret Deus, ut non
 eisdem artibus ad Pontificiam digni-
 tatem, aliosq; honores Ecclesiasticos,
 ubi sola uirtus locum habere debet, mul-
 ti contenderent. His igitur alijsq; de cau-
 sis,

sis, quas uitandæ prolixitatis gratia præ-
termitto, satis constare puto, unius im-
perium multò esse reliquis præferen-
dum. Galliam uero cæteris regionibus
præstare, ac non solum ad diuturnita-
tem, uerum etiã ad incrementum &
amplificationem, optimè esse constitu-
tam, demonstrabo, si nonnulla, de qui-
bus postea dicemus, emendentur, quod
est factu non difficile. Et primo quidem
singulare est illud, quòd ad solos mascu-
los Galliaë defertur imperium. Salicam
uocant eam legem, qua istud cauetur, &
optimo quidem consilio. Si enim foemine
ne succedant, fieri posset, ut in externi ali-
cuius potestatem rerum summa perue-
niat, in quo permultum sit futurum in-
commodi. Nam is cum & educatione
& moribus & lingua & ingenio diffe-
rat, à natura ipsa diligere quodammodo
cogitur, & in rebus omnibus præferre
suaë nationis homines, ipsæ honores &
præfecturas & ubi cunq; est aliquid eo-
molumenti, communicat. qua quidem
ex re necesse est, graues oriri offensio-
nes, ac inuidiam, tum multitudinis, tum
nobilitatis. Cum uero soli masculi lo-
cum habent, certus ac perpetuus est hæ-

DE REP. GALLIAE

res, quoniam qui genere proximus est, is indubitato succedit, eūq; populus reueretur & colit, ut magistratum suum legitimum, etiam si remotiori gradu distet ab eo, qui decessit: quod nuper uidimus mortuo Carolo octauo atq; etiam Ludouico duodecimo. Et quanq; superioribus annis, ac paulo supra hanc memoriā, uehementissime dissensionēs grauissimāq; bella uident ob eam rem extitisse: tamē non obscurū est, eam causam, quod ueri similitudinem aliquam haberet, obductā tunc fuisse. Nam & ius tandem obtinuit, eōq; res deducta, & legisbus ad eum modum est cōfirmata, nihil ut posthac turbæ sit idcirco metuendum, nulla etiam ut dubitatio residere deinceps possit. Atq; ut doceam, quod facturum me dixi, Galliam prudēter ac bene præ cæteris gubernari: præsentem reip. statum, ac ueteres etiam leges, quibus usa fuit, explicabo. Illud in primis magni est momenti, regiam potestatem, ac reliquos omnes regni ordines, a deo cōmodis et equis rationibus inter se deuinctos esse, ac uelut coagmentatos, uix ut ullum possit inter ipsos magnum dissidium oriri. Scio equidem nihil esse

nihil esse firmum, nihil perpetuū in rebus
 humanis, & fore uti regnum hoc quan-
 tumuis amplum ac potens, aliquando
 corruat, quod omnibus alijs imperijs e-
 uenisse constat, ut supra diximus: uerum
 ut homines, quò sunt meliori corpo-
 ris cōstitutione, et quò sunt in uictu tem-
 perantiores, eò firmiori utuntur ualetu-
 dine: ad eundem quoq; modum, regna,
 quò prudentius administrantur, & quò
 melioribus utuntur legibus, eò consi-
 stunt diutius. Atqui in Monarchijs, ut
 bi successione est locus, ut in Gala-
 lijs, plena detrimenti uidetur esse illa
 principum mutatio. Fit enim sæpenu-
 mero, ut præstantissimo regi succedat
 aliquis ineptus & uitiosus, aut etiam æ-
 tate puer, in quorum utroque multum
 inesse potest incommodi, uel propter
 illius, qui solus imperat, uel eorum, qui
 tutorio nomine rempublicam procu-
 rant, nequitiam. In eum uero casum
 res deuenire solent, cum Deus aliquam
 prouinciam, pro ipsius merito atq; scele-
 re, ulcisci constituit. quod ubi fit, nul-
 lus est amplius humana prudentiæ aut
 rationi locus, ac tunc ferè solet euenire,
 cum regna maximè florent, cum ad
 summam

DE REP. GALLIAE

summam foelicitatem & amplitudinem
 excreuerunt, & cum propter potentiam
 nihil eiusmodi metuitur. quod eò fit, ut
 homines securi, ac uelut ebrii dulci for-
 tuna, rerum humanarum mobilitatem,
 inconstantiam & imbecillitatem perspi-
 ciant, & Deum reuereantur, à quo salus
 & interitus rerum omnium dependet.
 lam, si qua eiusmodi tempestas nobis
 metuenda sit in Gallijs, quod Deus au-
 uertat, in promptu sunt remedia, quib-
 us & regem immoderatè dominantem,
 & eius, qui per aetatem regere non po-
 test, nutritios & procuratores, coërcea-
 mus, ita quidem, ut regi constet sua di-
 gnitas, & non quod libet, sed quod iuri
 ac aequitati consentaneum est, ei liceat.
 Optimis enim legibus sanctissimisque
 decretis huic rei prospectum est, quae
 non nisi magno negotio uiolari possunt,
 tametsi uis nonnunquam intentatur.
 Sunt autem tres tanquam freni, quibus
 Galliae regum summa potestas tempera-
 tur, Religio, iuris dictio, & politia. Ad
 primum quantum pertinet. Galli semper
 praeter caeteris ualde fuerunt dediti re-
 ligionibus etiam tunc, cum Dei nullam
 haberent noticiam, & Druides, qui ipsos
 rum

rum erant sacerdotes atque pontifices, præcipuam habebant auctoritatem, ut Cæsar commemorat. Vbi uero Christi doctrina cœpit innotescere, primi omnium inter longinquas nationes, eam sunt complexi, & semel admissam magno studio tuentur ac retinent, in hodiernum usque diem, nec ullam patiuntur hæresim apud se residere aut inueterascere, quod & Hieronymus memoriæ prodidit. Et adeo quidem in hac parte cæteris antecellunt, ut et Britanni et Germani et Hispani suas Ecclesias ad Galliæ præscriptum atque regulam non semel constituerint ac emendarint. Nostrorum quoque regum semper maximè fuit insignis ac memorabilis diligentia & assiduitas & ardor in profligandis hereticis & defendenda Ecclesia: & ad hoc usque tempus reliquæ nationes omnes, Luteciam Parisiorum, uelut ad uberrimum fontem, confluunt, discendæ causa religionis, ac his, quas dixi, de causis, Christianissimi cognomen, est huic regno attributum. Qui igitur acceptus esse populo, summeque studium illi uult approbare, hunc oportet religionis diligentissimum esse custodem. Nisi enim hoc interueniat pos-

DE REP. GALLIAE

puli de ipso iudicium, minus amant, & inuitissimi dicto sunt audientes, & si qua calamitas regnum affligat, totum hoc regis tribuunt impietati, ut non semel est compertum. tamen nonnunquam in alijs potius quam in regibus culpa residere solet. Cum autem ad præcepta religionis uitam accomodat, nihil agit superbe, nihil auarè, nihil iniuste: si minus, iam cuius Episcopo uel Ecclesiastici ordinis homini, qui sit inculpatæ uitæ & acceptus multitudini, reprehendere illum & palam admonere sui officij concessum est, absque ullius metu periculo, quandoquidem regi uerendum est, ne si quid grauius in illum statuat, populû uoluntatem alienet. Eiusmodi libertas nullo est, in alio regno, quod sciam, aut certè non æquè magna. Sed à paruulis & ab ineunte ætate reges ita ferre instituantur, ut et Deum reuereantur, & ordinem Ecclesiasticum in honore habeant. Atque ista religionis opinio, cum uidelicet persuasum est uulgò, principem uti propitio Deo, magnam ipsi beneuolentiam atque gratiam apud omnes conciliat. Alexander Macedo, qui propter rerum gestarum amplitudinem appellatus

pellatur Magnus, Ioue parente natum
 se prædicabat. Qui per Græciam olim fu-
 erunt fortissimi duces, originem suã ad
 Deos referebant. Numa Pompilius, al-
 ter Romanorum rex, quia colloquiũ si-
 bi esse cum Aegeria Dea fingebat, mul-
 to obsequentiorẽ populum in rebus o-
 mnibus effecit, quàm Romulus vi ar-
 morũ et disciplina militari. Scipio Afris-
 canus idem fecisse dicit. Ex ijs uero, qui
 Christi doctrinã sunt professi, Constan-
 tinus & Theodosius, & Carolus Ma-
 gnus et alij quidam foelicissimos habue-
 runt progressus, et fortuna sunt usi maxi-
 me secunda, quod religionis nomine ac
 opinione multitudinẽ erant cõmendati.
 Reges igitur Gallie, quia persuasionem
 istam populi uident suis rebus esse ne-
 cessariam ad deuinciendos animos, etiã
 amli fortẽ natura & sponte sua minus
 ad pietatem inclinent, tamen diligenter
 cauere solent, ne quid publica repre-
 hensione dignũ admittant. Et hoc qui-
 dem est primum, ut dixi, frenum, quo res-
 gũ suprema potestas inhibetur. Alterũ
 est, iuris dictio, quæ in Gallijs maximẽ
 uiget, ideoq; sunt instituti Senatus atq;
 iudicia, que nostra lingua uocantur par-

DE REP. GALIAE

lamenta, ut ne plus, quàm iure concessum est, illis liceat. Eorum enim iudicium is est numerus, eaq; potestas, ut decretis ipsorum rex quoq; pareat, & in controuersis aliquando causa cadat, neq; suis aduersarijs, quibuscum litigat, præiudicare possit. Ab his etiam expendantur literæ regis ac intercessiones, & si quid est in ijs uitiosum aut suspectum, repudiantur. Quantum ad crimina & maleficia pertinet, etiamsi rex alicui ignoscat & pœnam remittat, tanta est tamen illorum in his rebus seueritas, ut spe impetrande gratiæ, nemo ferè audeat aliquid grauius designare. Quamuis enim uicti aliquando regis autoritate, nimioq; fauore, dissimulare & actionem intermittere cogantur; tamen ubi fauor ille paulatim desijt, eum qui deliquerit, grauius multò puniunt, quàm si intercessionem nullam obtinuisset. Accedit, quòd perpetua est ipsorum functio, & nisi propter atrox aliquod facinus non remouentur loco. quod cum obijcitur, ad reliquum senatum eius rei quæstio defertur. Quòd si forte non seruata curis formula, de gradu quis desijcitur mandato regis, tum qui uel detulit, uel qui lo
cum

cum alterius uacantem occupauit, non est quòd solidum sibi gaudium illud polliceatur, nam ut sui facti rationem accuratissimam aliquando reddat, oportet. Quò fit, ut propter hanc muneris perpetuationem, quando sciunt, nihil sibi posse, præter sua ipsorum maleficia, fraudi ac detrimento esse, maiori tum fide tum diligentia ius reddant. Est igitur summa per Galliam, ut diximus, auctoritas iuris, quæ flecti quidem & uariari gratia fortasse potest, euersti autem & aboleri tota non potest; tamen si habeat suas maculas atq; uitia, quæ certè requirunt emendationem, ut est rerum mortalium conditio. Tertium frenum est, uti demonstrauimus, politia. Hæ sunt leges atq; decreta, quæ Gallia reges, alij post alios, fecerunt ac confirmarunt singulis temporibus, neq; temere illis derogant: ac si faciant, populum non sint habituri obsequentem, in primis, quantum attinet ad ipsorum, hoc est, regni Gallia, patrimonium, quod ipsis alienare non licet, nisi magna cogantur necessitate, quæ multa senatus deliberatione a deo curioso examinatur & disquiritur, ut propter incertitudinem uenditionis, pauci

DE REP. GALLIÆ

statum rerum aliquid sibi emendū, & fru-
 beundum esse periculū putent. Quāto-
 enim regibus concessum est uti frui pos-
 sessionibus ac facultatibus regni, suo ar-
 bitrio: tamen omnium expensarum rati-
 ones referuntur ad quæstores ac ærar-
 præfectos, qui illos minuendi potestate
 habent, si uel immoderatos esse uel in-
 utiles cognouerint. quod summa profes-
 ctō equitate nititur, et cōmunem utilita-
 tem attingit. Nisi enim conseruentur &
 recte distribuantur publica regni uecti-
 galia, & annui prouentus, iam olim re-
 gibus attributi, necesse est, cum bellum
 aut aliqua uis maior incidit, ut popu-
 lus magno suo detrimento pecuniam
 conferat. hoc igitur, ueluti freno, ni-
 mia regum liberalitas coërcetur. Mul-
 tæ quidem sunt aliæ regni nostri leges,
 quas breuitatis causa non recito, ac sa-
 tis est mihi, præcipua illa dixisse, qui-
 bus regū authoritas temperatur, quod
 ad ipsorum laudem inprimis pertinet.
 Nam si quid uis possent, multo essent
 imperfectiores: ac sicut Deus omni-
 potens, non idcirco, quia peccare non
 potest, iudicatur esse minor, sed illu-
 strior sit eius, hoc ipso, & admirabilior
 perfectio

perfectio: sic etiam reges, quum suis ipsi legibus obtemperant, multo maiorem laudem merentur, & ad perfectionem propius accedunt, quam si ad nutum ac uoluntatem suam iubeant omnia fieri, & ad hunc modum temperata ipsorum potestas, proximè ad Aristocratiam accedit, & firmitus consistit. Sunt in Gallijs etiam tres præcipui ordines, Nobilitas, populus, uulgus. Hi singuli, pro sua quisque conditione, suas habent, leges ac instituta, quibus utuntur, & admodò commodè sunt inuicem aggregati, ut ægrè facultatem habeant, alij alios opprimendi, aut etiam aduersus regem coniurandi. De Ecclesiasticorum ordine postea sum dicturus. Nobilitas igitur Galliæ siue equestris ordo maximis fruitur commoditatibus ac priuilegijs, eoq; fit, ut magno quodam affectu regem complectatur, et uitam quoq; pro ipsius ac patriæ salute profundant. Nec enim ullum pendunt tributum, et armatis licet ipsis esse quocunq; loco, & multa habent uitæ præsidia, sic ut non sit opus, illiberalem aut quæstuariam aliquam artem exercere. Hoc enim nostris moribus minime illis conceditur, nisi fore

DE REP. GALLIAE

te domi maneant, ac rei familiari studeant. Sed si regem sectari uelint, habent quo se honeste alant. Plurima enim sunt domus & aule regiae ministeria, quae solis nobilibus attribuuntur, qui singulis partem aliquam anni, in ijs procurandis consumunt, & reliquum tempus uacuum habent ac liberum rebus priuatis atque domesticis administrandis. Hi omnes annum accipiunt à rege stipendium, & ampliora sperandi magnas habent occasiones. Principes autem uiri, ac maioris dignitatis proceres, quoniam & ipsi regis beneficentiã experiuntur, ac partem reipublicae procurant, nobilibus, qui sunt re familiari minus lauta, uictum & alia saepe communicant. Deinde, reges perpetuum alunt & amplissimum equitatum, exercendae & alendae causa nobilitatis, ac in tanto equitatus numero, plurimae sunt praefecturae, quae in illos distribuuntur, eaque ratio non minus pacis quam belli tempore durat. Maioris quidem loci nobiles, pro sua quisque conditione ac uirtute, praeficiuntur equitibus: ex reliquis autem alij sunt legati, alij signiferi, alij equites cataphracti, alij sagittarij, & qui per aetate non possunt

sunt

sunt ferre arma, reliquis famulantur, & cum nullum intercedit bellū, licet ipsis manere domi, suiq; stipendiū partem nō mediocrem parsimonia conseruare. Ad hæc, nemo credat, quā multæ sint per Galliam præfecturæ, ut sic dicam, urbanae, quæ soli nobilitati committuntur. nam alij prouincijs, alij ciuitatibus, alij oppidis, alij finibus, alij castellis & arcibus, alij uicis præficiuntur, ut interim nihil dicam de maioribus illis muneribus, quæ principibus tantum tribui solent, cuiusmodi sunt, qui nostra lingua dicuntur, Connestablij, Marescalli, Ammiralij & id genus alij. Sed & annuā pecuniam, uelut honorarium quoddam, reges, liberalitate quadam elargiri solent in multos nobiles, qui nulli sunt ad dicti ministerio: hi appellantur nostra lingua, pensionarij. Satis igitur ex ijs quæ diximus apparet, ordinem equestre ualde honeste & liberaliter in Gallijs haberi. & recte quidem. nam & patriam ab hostibus defendunt, & natura ferè ceteris antecellunt, et nō solum ipsis, uerum etiam maiorum ipsorum meritis atq; uirtuti istud tribuitur. Alter ordo suas etiam habet commoditates, nob

DE REP. GALLIAE

exiguas. ad hunc pertinent mercatores,
 qui eò faciunt maiorem questũ, quòd tu-
 tò ipsis per Galliam proficisci ac negoci-
 arilicet, tum, quòd nobiles & mercatu-
 ram nullã exercent, & splendidè ferè ac
 sumptuose uestiuntur. Huic etiam ordi-
 ni conueniunt ac ferè tribuuntur questu-
 ræ & rationes nummaria, item praturæ
 & quicquid ad iurisdictionẽ pertinet,
 qua sanè in re plurimum est honoris ac
 emolumentĩ. Sunt enim in Gallia iu-
 ris administrĩ, iudices, aduocati causa-
 rum, procuratores, scribæ. & id genus
 alij, multò plures, mea quidem senten-
 tia, quàm in reliquis omnibus orbis
 Christiani prouincijs, quod per oppor-
 tunè illis accidit, qui relicta mercatu-
 ra, his rebus operam nauare uolunt.
 Et adeò quidẽ est fructuosus hic ordo,
 ut nobiles etiam inuideant. quanquam
 certè dignitate atque splendore reliquis
 præstant, & qui sunt alterius ordinis,
 ferè student ad hunc peruenire, ut po-
 stea sum dicturus. In tertio genere est
 uulgus & promiscua hominum multitu-
 do, qui & agros colunt, & omnis gene-
 ris artificia tractant. Vt autem hi uel ni-
 mia utantur libertate, uel admodum
 sint

sint diuites, uel in armis etiam exercita-
 ti, non est consultum. Nam quia condi-
 tionem seruitutis oderunt omnes, & na-
 tura suas fortunas amplificare student,
 facile sit, ut arma capiant & potentio-
 res opprimant, quod & in Gallijs & a-
 lijs in locis non semel accidisse constat.
 Ut autem eiusmodi sint ordines, ac ue-
 luti gradus in omni republica, necesse
 est quemadmodum in corpore huma-
 no uidemus infirmiora & ignobiliora
 mēbra subministrare dignioribus. Neq̄
 tamen est, quod hi suum statum deplo-
 rent ac indignè ferant, quoniam & ius
 cōmunicatur ipsis æquabiliter, & quam
 à maioribus acceperunt, ea utuntur li-
 bertate, & multis etiam reipublicæ mi-
 nisterijs adhibentur, & sola uirtute ac
 industria & assiduitate possunt ad se-
 cundum ordinem emergere, quod se-
 cundo non licet, ut ad primum uideli-
 cet euadat, nisi regis beneficio singula-
 ri, quod ille solet ijs impertiri, qui aut
 iam fecerunt, aut pro republica uiden-
 tur posse aliquid facere egregiè. Et pri-
 mum, ut ordo conseruetur equestris,
 qui propter belli exercitium fere mi-
 nuitur.

DE REP. GALLIAE

nistur, & sumptus uix tolerat, deinde,
 ut homines tantis excitati præmijs, uir-
 tute contendant & ad superiorem gra-
 dum elucientur. Hac etiam spe confisi
 qui sunt plebei & infimi ordinis, aspi-
 rant ad secundum, & cum in eo uersati
 fuerint aliquandiu, ad primum. Itaq; fit,
 ut minus sit inter ipsos, inuidiæ ac ma-
 leuolentiæ, quando uident, meritis ac
 uirtuti patefactam esse uiam ad amplif-
 simos honores, & propositum esse peri-
 culum, si malis rationibus eosdem obti-
 nere studeant. Quod si uel conatus ni-
 mium difficilis, uel spes nulla esset am-
 pliora consequendi, tum qui sunt medi-
 ocris & infimi gradus, magni præsertim
 animi, causam reperirent & occasionem
 excitandi motus, & sui ordinis homi-
 nes contra potentiores armandi, nunc
 autem minime difficilis est ratio, & ui-
 demus, quàm multi ex humili sæpe lo-
 co ad summũ fastigium euadant. Hanc
 quoq; rationem diligenter olim serua-
 bant Romani, nam à populari statu gra-
 dum faciebant ad ordinem equestrem,
 & huic deinde ad patritiam & senato-
 riam dignitatẽ patebat aditus. Est præ-
 tera ordo Ecclesiasticus, nulli non com-
 munis,

munis, qui modo animum huc adijciat, & pro Gallia consuetudine non raro accidit, ut etiam homines plebei, uirtute ac eruditione praestantes, amplissimos in eo genere consequantur honores, Cardinalatum aliquando, uel Pontificatum etiam, quae sane res ad uirtutem ac literarum studia homines inflammare potest. Quare ad reipublicae utilitatem semper existimaui pertinere, ut mos ille seruetur, conferendi sacerdotia & Ecclesiarum facultates ijs, qui suae diligentiae ac literaturae documentum aliquod egregium dedissent. Nisi enim ita fiat, potissima pars earum facultatum erit in potestate principum ac Episcoporum, qui suis deinde familiaribus atque seruis ea distribuunt: reliqui autem, qui Romae et apud regem nullos habent amicos atque sollicitatores, frustra laborem omnem sumunt. Neque tamen hoc ita uelim accipi, quasi in ea sanctione & lege, quam pragmaticam nostri uocant, nihil sit uitij. non enim hoc mihi summo disputandum: sed quod publice mihi profuturum esse uidetur, expono. Vellem equidem inueniri posse aliquam in eo rationem, quae & reipub. Galliae, & Romanae quoque

DE REP. GALLIAE

quocumque curiæ sit non incommoda, sed plu-
 ra de eo non sum dicturus in hoc loco.
 Quæ autem dixi omnia, eò pertinent, ut o-
 stendam, quam aptè & uenuste inter se
 cohæreant omnes regni ordines, è qui-
 bus si quis aliquid delinquat, facilis est
 medicina. Nam si nobiles iniuriam cæ-
 teris faciant, coërcentur ab ijs qui ius
 reddunt, quorum est tanta authoritas,
 ut quantumuis magni principes eo-
 rum cogantur parere decretis, quòd si
 populus etiam atque uulgus aliquid mol-
 atur, ut nonnunquam accidit, non est diffi-
 cile nobilitati, propter potentiam, & u-
 sum armorum, illos ad æquitatem & of-
 ficium adducere, eorumque fit ut suarum res-
 rum finibus ac ueluti cancellis sese con-
 tineant omnes, ac pacem alij cum alijs
 colant, quando neque causam habent, neque
 facultatem etiam aliquid conandi, &
 periculum in eo summum esse uident.
 Itaque regem tanti beneficii authorem
 complectuntur & amant omnes, ac cum
 tempus incidit, libentissime impera-
 ta faciunt, & publicis necessitatibus ma-
 gno studio subueniunt. Quòd si pri-
 uatim aliqui ab officio discedant, para-
 ta sunt remedia, sic, ut malum non possit
 sit lon?

sit longius progredi. Et hæc quidem satis est dixisse, ut demonstrarem quod supra diximus, Galliam optimè constitutam esse legibus. Nunc ad alteram partem uenio, quæ plurimum habet, ut difficultatis, ità etiam utilitatis. nam & quæ sint nostræ reipublicæ uitia, & quemadmodum ea debeant emendari, constititur. Ac sane magnitudo rei nō unius modo sed multorum peritissimorum hominum sententiam postulat. quod tamen ità sit, tamen studium & amor reipublicæ persuadent ac propemodum impellunt, ut quicquid & labore & ingenio & rerū tractatione atq; usu, multis nunc annis, quos publicis negocijs impendi, cognitū atq; meditatū habeo, proferam. Nemini uerò legem aut modum hic ullum præscribo, sed quod conueniens & utile mihi uidetur, explano, & ijs qui melius rem cognoscunt, iudicium permitto. Et quoniam in eiusmodi reipublica, qualis est nostra, totum a rege dependet, præcipuum ac summum esse uidetur, ut sit uir bonus atq; prudens. Nam si populū habeat obsequentem, facile efficiet, ut quæ bonæ sunt & salutare leges, uigeant atque seruentur.

DE REP. GALLIAE

tur, quæ uerò minus, hæ ut abrogentur :
 Deinde, cum rectè uitam instituit, mori-
 bus & exemplo suo præluceat omni po-
 pulo, & ad sui imitationem incendit, &
 cum reipublicæ studium in eo apparet,
 reliqua præfectorum turba minimum
 audet ab officio recedere, & promiscuè
 omnes elaborant, ut ne quid animad-
 uersione dignum faciant. Iam uerò, si in
 regibus hæ quatuor inessent uirtutes,
 ingeniū, experientia, prudentia, & amor
 reipublicæ, nihil desiderari posset ampli-
 us: sed quoniã uix pauci reperiuntur ta-
 les, et ut fortasse reperiantur, tamẽ quo-
 niam imperij non uirtutis est hæredi-
 tas, & quia uis tota in actione consistit,
 ueniendum est nobis ad earum rerum,
 quas in bono principe requirimus, ex-
 plicationem, quod et Aristotelem, Alex-
 andri magni præceptorem, & alios com-
 plures doctos & exercitatos homines,
 fecisse constat, traditis totius uitæ præce-
 ptis. Quomodo autem regenda sit Res
 publica, & quibus uirtutibus oporteat
 principes uiros esse ornatos, de his re-
 bus omnibus adeò luculenter & copio-
 sè multi scripserunt, tam Græci quàm
 Latini, atq; etiam nostræ linguæ homi-
 nes, ut

nes, ut nimis prolixum ac planè superua-
caneum sit ea omnia congerere, temera-
rium autem, uelle aliquid ijs adijcere.
Nulla enim noua ratio inueniri potest,
quam non superioris ætatis homines
demonstrarint, sed dialogis nonnulli
rem tractarunt, ut Aristoteles & Xeno-
crates & Thomas Aquinas, alij uero hi-
storice, ut Xenophon, in eo libro, quem
inscripsit Pædiam Cyri, quæ regem de-
scribit, eiusq; uitam & mores & res ge-
stas commemorat, non quidem, quod
reuera is fuerit, sed quod talem esse oportet,
qui boni principis personam susti-
nere uelit. Est enim Cyrus ab illo non ad
historiæ fidem scriptus, sed ad effigiem ius-
ti imperij. Alij orationibus aut panegy-
ricis rem demonstrat, ut Cicero, dū Pom-
pei laudes recitat, & Plinius, dū Traia-
num Cæsarem prædicat, eiusq; generis
quædam cōscriptasunt etiam nostra lin-
gua. Sunt alij, qui cum principum fa-
cta commemorant, uirtutes eorum cele-
brant, ut reliquos ad exemplum inui-
tent, ac uicia quoq; grauitè ac odiosè re-
prehēdunt, ut homines deterreant. quo
quidem in argumento præstat Valerius
Maximus, qui non modo Romano-

DE REP. GALLIAE

rum, sed & exterorum preclare atq; etiam
 am improbe turpiterq; facta diligentis-
 sime conscripsit. Quod si uiri principes
 uel legerent ipsi, uel ab alijs audirent
 eiusmodi libros recitari, & menti ani-
 moq; infingerent optima, quibus n̄ libri
 sunt referti, p̄cepta, non esset ijs o-
 pus uila institutione maiori: sed quonia-
 am earum rerum omnium recordatio
 & usus difficilis est, propter prolixita-
 tem & multitudinem, tum etiam pro-
 pter humani ingenij atq; naturę infirmi-
 tatem, inprimis autem, quoniam princi-
 pes & qui magistratum obtinent, si sunt
 prudentes, grauib; implicantur nego-
 cijs, & parum habent uacui temporis,
 aut si sunt ætate minores, delitijs atq;
 uoluptatibus ferè se tradunt: his de cau-
 sis, quæ mihi uidentur ad bene guber-
 nandam Rempub. Gallie inprimis per-
 tinere, paucis comprehendam. Ita si-
 et, ut nec illos, qui serijs rebus occupan-
 tur, ab labore & industria reuocem, nec
 ijs, qui seria parum curant, molestiam
 aut fastidium adferam. Atq; istud eo
 nunc p̄est, ea bonitate ingenij esse con-
 fido, ut quæ optima esse cognouerit, libe-
 benter

benter sit amplexurus, & Deum habitu-
rus propitium, qui cum corda regum in
sua potestate habeat, orandus est, ut sa-
na consilia magistratui suggerat. Pri-
mum ergò generatim de ijs, quæ huc
pertinere uidebuntur, uerba faciam, an-
teq; alia quæ sub ipso genere latent, in
medium adferam, medicorum exem-
plo, qui cum aliquid in ægroto depre-
hendunt, quod causam alicuius magni
morbi adferre possit, solent ei tantū ma-
lo providere atq; consulere, interim aus-
tem de eo, quod totius ualitudinis recu-
perationem attingit, nihil ad tempus
præcipiunt. Inprimis cauendum est re-
gi, ne quid immoderatè aut præcipitan-
ter ulla de re statuat, sed suorum utatur
consilio, sicut præstantissimos semper
uiros in rebus magni momenti fecisse
constat. Nam & Mosi Deus attribuit
homines prudentes, ex tota multitudi-
ne delectos, quorum adiutus consilijs
rem administraret. Fieri enim non po-
test, ut unus aliquis, aut etiam pauci
quidam, quantumuis excellentes, tan-
tam imperij molem sustineant, imò, ne-
gociorū multitudo caliginem quãdam
mentis obducit ijs, qui nimium in se re-

cipiunt. quia nec ingenij satis habere possunt, nec etiam temporis, ut idonee res omnes considerent, & ualde peccatur, cum subito ac tumuluose aliquid agitur. Sed prouidendum est etiam, ne quod tacitum & arcanum esse oportet, cum pluribus communicetur. Saepe enim fit, ut nonnulli propter locum ac dignitatem, quam obtinent, sint adhibendi consultationibus, & quod maiori parti uisum fuerit, illud fere decerni ac recipi solent: sed in eo saepe periculum esse potest, quoniam ex multis perpauci, ingenio simul & usu rerum atque iudicio praestant. Cum ergo magna sit in eo difficultas, & quia consiliarijs carere principes omnino non possunt, opus est, mea quidem sententia, ut praeter iuris administratos, de quibus antea diximus, rex instituat tres senatus, quibuscum de rebus omnibus deliberet. exemplo seruatoris nostri, qui praeter septuaginta duos discipulos habuit apostolos duodecim, in hisque solum tres maxime familiares, Ioannem, Iacobum, Petrum, quibus & suam diuinitatem separatim ostendit, & de morte atque cruciatus suo, quum iam eius cogitatione uehementissime perturbaretur, plurima

tima dixit, quin etiam in his tribus, Ioa-
 annem præ cæteris ualde complexus fu-
 it, ut sacræ literæ testantur. Ad eundem
 quoque modum, de publicis negocijs rex
 cum frequenti concilio communicabit,
 cui intersint principes, Episcopi, cubi-
 cularij & id genus alij præfecti domesti-
 ci, ac si res ita postulet, senatus ac Iudi-
 ciorum præsides, ac primi nominis con-
 siliarij, & omnes in quibus aliquid est
 dignitatis atque consilij. & si forte absint,
 euocandi erunt. quod tamen raro ac
 tunc solum est faciendum, quando de
 summa rerum agitur, cum uel bellum
 est suscipiendum, uel ferendæ nouæ le-
 ges, aut aliquid simile. Tunc enim ex
 præcipuis regni ciuitatibus adhibendi
 sunt prudentiores, & hic quidem sena-
 tus non est perpetuus, uerum tempora-
 neus. Illud uero dicitur perpetuum et or-
 dinarium concilium, cui adhibentur ij,
 qui regem ferè comitantur, in eoque con-
 cilio tractari debent ea, quæ maturâ qui-
 dem & grauem deliberationem, sed ta-
 men nullam requirunt taciturnitatem.
 Sæpius autem cogi debet hoc concili-
 um, etiam si negotiorum magnitudo nõ
 flagitet. in tanto enim regno fieri non

potest, quin nouæ quotidie res offerantur, quæ consultationem requirant. Quòd etiamsi nihil ferè in deliberatione ueniat: tamen ipse conuentus per se laudem quandam ac honestatè habet, et incidit semper alicuius rei mentio, quæ futuris etiam actionibus accommodari possit. Ad hoc autè munus allegèdi sunt uiri boni ac prudentes, & reipublice amantes: neq; ad generis nobilitate aut conditionis amplitudinem, sed ad solam uirtutem ac integritatem respiciendum est, quoniam reipublicæ salus in eo uertitur. Hi numero esse possunt, ad duodecim, aut etiam paulo plures, si modo qui sint idonei, reperiantur: nec ulli, qui non sit in hunc numerum ascriptus, concedi oportet, ut sese ingerat, nisi forte aliquid sit oblatum, de quo alius extra concilium hoc, plura & certiora cognoscat, sed rarò faciendum est ita, & non nisi graui de causa, ne paulatim alij minus apti sese insinuent. Atq; ut singula ordine gerantur, necesse est, ut uel rex ipse consultationibus præsit, uel ex omnibus aliquem constituat præsidem, cuius ea sit uirtus, ut reliqui, non tam propter eum gradum ac dignitatem, quam propter

pter ingenium, in honore ipsum habeant. Sed profecto utilissimum est, ut ei concilio frequenter intersit ipse, praesertim quum arduis de rebus agitur. Neque enim satis est, ut decretum ei recitetur, quod plene perfectetq; intelligere non potest, nisi coram audiat disceptari. Quum etiam adest ipse disputationibus, ingenia suorum melius cognoscit, et quibus optimè uti possit, intelligit, & studium in illis excitat, ut & diligenter omnia ponderent, neq; fraudem admittant, quando illum suæ eruditionis & animi testem atq; iudicem presentẽ conspiciunt. Ex hoc autem numero tres aut ad summum quatuor, quorum uirtuti plurimum tribuit, sibi deliget, quibus cum de rebus oblati, anteq; ad conciliũ deferantur, communicet. Fieri enim potest, ut aliquid occurrat, quod non oporteat à multis cognosci ac deliberari, uel ideo quòd silentio tegendum sit, uel quòd ad aliquem eius concilij proprie pertineat. Cum hęc re disceptata, cognitiscq; eorum sententijs multo facilius & perfectius, quale sit reliquorum iudicium, aestimabit. Cum etiam in frequentiori cõcilio decretum est aliquid,

Separatim cum ijs, quos dixi, paucis, de
 eo colloquetur. nec enim statim opti-
 mum est, quod maior pars iudicauerit.
 Quod si uel dissidere ipsos, & opinio-
 nibus uariare uideat, uel communem il-
 lorum sententiam non per omnia pro-
 bet, nihil in praesentia decernet, sed gra-
 uiori cogitationi rem seruet, & si fir-
 mam habet sui iudicij rationem, leniter
 ac sine ulla reprehensione, in proximo
 deinde conuentu, causas proferet, cur
 aliter, quam ipsi arbitrentur, faciat. aut
 si silentium res postulabit, diuersum ab
 eorum sententia faciet, ac tunc demum
 sui facti rationem illis explicabit. Sed
 raro, ac non nisi grauissima de causa,
 discedendum est ab opinione commu-
 ni, quoniam & periculum in eo esse pos-
 test, & illi, si repudiari plerumque sua di-
 cta uideant, offensionis causam habituri
 sint, & studium diligentiamque remitte-
 rent. prudentiam igitur adhibebit & ca-
 ueat, ne his auctoritatem omnem, illis
 uero nullam tribuat, in primis autem, ne
 singularem aliquem in tanto habeat ho-
 nore, ut reliqui dissimulare, & illius om-
 nia dicta factaque probare cogantur.
 Nam alioqui seruitutem sibi comparat-
 bii ipse,

bit ipse, & author illi sit futurus, ut sui
commodi priuati causa, reipub. pluri-
mum noceat. Aequitatem enim uix est
ut seruet, qui summam rerum occupat,
quantumuis etiam natura sit bonus &
integer. Vbi uerò præcipuam alicuius
uirtutem atq; fidem perspexerit, non re-
merè fidem ijs habebit, qui de illo alijs
quid deferent, & delatori, si falsum esse
compererit, pœnam denunciabit, et tam
eius qui accusatur, quàm qui accusat,
personam atq; causam totam diligenter
considerabit, & si fictum esse iudicabit,
eum qui detulit, grauiter atq; seuerè ca-
stigabit, & delatum interim certio-
riorem faciet, tacito alterius nomine, ut uideat
quemadmodum sese purget. Quòd si
crimen sit eius generis, ut ad ipsum aut
ad reipub. pertineat, dissimulanter eum,
qui delatus erit, obseruabit, & si forte
qui detulit, fidem facere uelit eius quod
dixit, non est repudiandus. Nam si secus
fiat, hoc sit aditum præcludere ijs, qui re-
gem de sua salute uelint commoneface-
re. Ac sicut leuitatis est, omnibus indiffe-
renter habere fidem, qui aliquid defes-
erunt: ita quoq; imprudentiæ est, repu-
diare omnes, qui quacq; de re aliquid

enunciare uelint. Mediocritatem ergo
 seruet, & quibus auctoritatem tribuit,
 ijs non sic indulgendum est, ut putent si-
 bi quiduis impunè licere, sed continen-
 di sunt in metum, ut indubitato sciant, si
 quid præter officium fecerint, pœnam
 duros. Vt autem ex omnibus unum
 aliquem habeat sibi præ reliquis fami-
 liarem, quicum de rebus priuatis atque
 domesticis loquatur, nō repugno, et ma-
 gna felicitatis parte careat, hoc ei si non
 esset concessum: sed in rebus arduis at-
 que seueris minimè istud recipiendum
 est. Nemo enim unus cuncta regni ne-
 gocia satis aut nouisse aut procurare po-
 test, & quò quisq; prudentior est, eò mi-
 nus tantū onus in se recipere uolet, nisi
 fortè ambitione & arrogancia sit demen-
 tatus. Nullā rem igitur maioris momen-
 ti rex occultam habebit, sed quibus plu-
 rimū fidit, ijs totum se patefaciet. Non
 minus enim est aliquando in tacendo
 uitij atq; periculi, quàm in efferendo. Ca-
 ueat autem, ne cui ita sit familiaris, ut in
 rebus magnis polliceatur, eius, quod
 occultè per indicium cognouerit, nihil
 se dicturum alijs. Nam qui sunt improbi
 ac scelerati, facile sic occasionem arri-
 piant

piant struendæ calumniæ, ac futurum
 sit, ut delata re aliqua, & per inuidiam
 sæpe ac odium excogitata, suspicionem
 grauissimam concipiat, & propter silen-
 tium promissum, acerbè se affligat ipse,
 nulla de causa, & aliquid designet, cu-
 ius ipsum postea pudere ac pœnitere o-
 porteat. Prius ergo, quàm familiares il-
 los sibi faciat, fidem eorum ac taciturni-
 tatem exploratam habeat, ut non minus
 tutò & liberè cum illis, quàm secum ipse
 loqui possit. Multa enim magna & præ-
 clara sæpe negocia interierunt, propter
 non præstitum silentium, & accidit non
 rarò, ut qui utiliter ac prudenter ali-
 quid excogitarunt, inuidiæ metu non
 ausint pronunciare, ueritine non sit ta-
 citum. In primis autem oportet, ut hu-
 ius, de quo loquimur, cōcilij decreta sint
 quammaxime arcana. & quantq̃ iureiur-
 ando silentium illi polliciti sunt: tamen
 cum aliquid incidit maioris momenti,
 rex per occasionem denuo ipsos fidei &
 officij sui commonefaciet. ac si comperi-
 et aliquid emanasse, dabit operam ut co-
 gnoscat à quo sit elatum, & authorem
 ubi repererit, pro magnitudine rei uin-
 dicabit, ut alij exemplo deterreantur.

Cum

DE REP. GALIÆ

Cum etiam res quæ in deliberationem
 uenit, est eius generis, ut si quod de illa
 decretum est, efferatur, periculum sit, ne
 tota corruat & euertatur, cuiusmodi est
 belli deliberatio: cognitis omnium sen-
 tentijs, nihil illis præsentibus decernet,
 uerum secutus sanio rem sententiam,
 quod animo cõcepit, exequetur. Quan-
 quam sanè tutissimum mihi uidetur, ut
 uni atq; alteri, quibus maximè omnium
 fidit, quid sui sit cõsilij, demonstret, præ-
 fertim si parum se iudicabit eius, de quo
 agitur, esse peritum, in eoq; præstat, ut
 summissè de se potius, humiliterq; sen-
 tiant, quàm ut nimium per arrogantiam
 sibi sumat. Hæc ferè sunt, quæ mihi uie-
 dentur ad præsens argumentum perti-
 nere. Nam si ad hunc modum, ut dixi,
 concilium instituat, nullum potest tan-
 tum euenire discrimen aut incommo-
 dum, quod non facile depellatur, quan-
 do quidem nihil ferè incidere possit, de
 quo non antea diu multumq; sit in os-
 mnem partem cogitatum. Quò fit etia-
 am, ut minori motu atq; detrimento po-
 puli occurratur impendenti malo, quod
 fieri non potest, quando in ipso nego-
 cio consilium repente actumultuose ca-
 piendum

piendum est. Quamuis autem ea quæ dixi, satis uideri possint: tamen quoniam plerique, quò sunt doctiores ac prudentiores, eò magis dubitare solent, ac plura semper inuestigant, nonnulla sum adsecturus, quæ ad tuendum & amplificandum regnum pertinent: quorum alia domesticam, alia uerò externam administrationem attingunt. Et primò quidem hoc mihi uelut fundamentum sumo. Res omnes ipsdem causis cõseruari, quibus ex causis ortæ sunt ac procreatæ. Iam, quomodo natum sit Galliæ regnũ & stabilitum, suprâ demonstrauimus: ipsdem ergo rationibus confirmari deinceps magis atq; magis & augeri quòque possit, sed quoniam plerique & maiorem explicationem desiderant, & à nostris hominibus ferè neglecta sunt hæcenus, paulò sum de illis dicturus accuratius. Quod igitur antea diximus de tribus illis retinaculis ac ueluti frenis, quæ regum impetus uehementiores demorantur atq; sistunt, totum hoc æquitate nititur, nullam rem enim aut Deo magis gratam, aut populo magis salutarem, aut honestiorem etiam rex facere possit, quàm si disciplinam illam seuerè

DE REP. GALLIAE

conseruet. Hac enim uirtute atque merito fit, ut populi tutor atque pater appelletur. quod si uerò secus agat, & suo arbitrio quiduis faciat, uoluntates hominum alienat, et crudelis atque tyrannus ab omnibus nominatur. Et quoniã actiõnum nostrarum omniũ initia et exitus ad Deum referri debent, Religionem diligenter reges procurabunt, Galliaẽ rex in primis, quem Deus omnium amplissimo fructuosissimoque regno donauit, cuius etiã maiores, egregijs atque preclaris suis factis, ut Christianissimi dicantur, effecerunt. quò magis pudendum sit, non insistere illis uestigijs, & ab ipsorum degenerare uirtute. Operam ergò dabit, ut fides ac religio Christiana sit inuiolata, ut nullæ hæreses aut sectæ iam olim damnatæ, in populo ressideant, ut nomini seruatoris nostri nulla fiat ignominia, quod plerique nimis licentiosè faciunt. eam uerò petulantiam grauibus exemplis atque pœnis coercet, si Deum uelit habere propicium: permultum enim sceleris est in ea consuetudine, quæ nostris iã moribus prope nullam habet infamiam. Ecclesiæ uerò Apostolicæ magnum in primis defectu

ret honorē, eoꝝ magis, quò secundiori sunt usi fortuna, propter eam pietatē, & pluribus adfecti beneficijs, ipsius antecessores. Vt etiam Ecclesijs omnibus per Galliam sua iura ac priuilegia conseruent, & ut Ecclesiarum præfecti suum faciant officium, magno studio providebit, & quod in ea re uitij deprehenderit, per eos, quorum interest, emendari præcipiet. Neque enim satis est, quæ recta sunt et honesta, nouisse, uerum ad actionem prodeundū est, idēꝝ cum primis decet eos, qui præsumt alijs, maximè uero regem, cuius nullum factum obscurum esse potest. & quoniam sui principis mores ferè sequit̃ populus, elaborare debet, ut optimis honestissimisq; uitæ exemplis præluceat. Ecclesiastici aut̃ ordinis homines, eos præsertim qui præsumt ad administrationem ac toti disciplinæ, in honore habebit, sic tamen, ut sua ipsi maiestas constet. Multum in ea re peccatur, tum hic, tum alijs in locis, quod est uitij illorum ac impuræ uitæ tribui fortasse potest: ordini tamen ipsi nihilominus honor suus atq; cultus impendi debet: sicut regis dignitati atq; splendori, propter ipsius regis nequitiam, nihil decedit.

dit. Permultum enim est ubiq; uitiorū,
 nec ullum est uitæ genus, quod non e-
 mendationem requirat. Sed reges incu-
 sari possunt, qui minus idoneos Eccle-
 sijs sæpe præficiunt. plus enim est in eo
 peccati, quàm credi possit; nam & mise-
 rorum hominum salus periclitatur, &
 pleriq; dum in illos intuentur, remolle-
 scunt, eorumq; similes euadunt. Persua-
 deant ergo sibi uiri principes, hoc uno
 facto Deum grauissime offendi, eoq;
 magis, quò maiorē istud apud nos iam
 habet, nostris moribus, excusationem.
 Nam si in ijs rebus quæ proprie ad ipsos
 pertinent, magno studio & sollicitudin-
 e conquirunt ac sibi deligunt, quos in
 quaq; re maximè excellere arbitrantur,
 coquos, tonsores, uenatores, aucupes, e-
 quorum domitores, satellites custodiæ
 suæ causa, item belli duces ac militum
 præfectos: quomodo tandem in aspectu
 Dei consistent, quòd Ecclesiæ, quàm
 sanguine suo Christus in libertatem uin-
 dicauit, eos præponunt, qui uel flagiti-
 osis moribus atq; uita populum à recta
 semita deducunt in præcipitium, uel eti-
 am si non turpiter ac scelerose uiuant, ta-
 men omni destituti doctrina, suum officium

cium

cium facere nō possunt. Certè, si quem
admodum nomine, ita quoq; re ipsa uo-
lumus esse Christiani, & si quidē Euan-
gelio ac sacris literis fidem esse haben-
dam putamus, ita statuemus, nullam pos-
se reipub. Christianæ grauiorem pla-
gam infligi. quicquid enim est uitiorum
ex eo fonte profluit atq; redūdat. Nam
eiusmodi Ecclesiarum proceres, Episco-
pi ac id genus alij, inferiores deinde præ-
fecturas ac populi curam, sui similibus,
hominibus indoctis atq; uitiosis com-
mittunt, & facultates illæ atq; possessi-
ones, in optimos honestissimosq; usus
olim contributæ, nequiter & indignè
consumuntur, & religio ipsa in ludibri-
um atq; contemptum adducitur. Et
quanquam huic ordini nomen ipse de-
di, tamen quod res est, dicam. nec enim
hoc agitur, ut aliqui de suo statu deijci-
antur, uerum ut singuli officium su-
um faciant, & offensiones è medio tol-
lant, & nō solum eius populi, quē curati-
dum susceperunt, sed totius etiam Eccle-
siæ miseriam & incommoda conside-
rent. Vix enim paucos reperire liceat
nostri ordinis homines, ad quos earum
rerum omnium emendatio proprie pertinet.

DE REP. GALLIAE

tinet, qui possint cum dignitate, & ue-
 lint interesse Concilio publico, atq; ibi
 quæ necessaria sunt ad communem os-
 mnium salutem, explicare ac in medi-
 um consulere. Quòd si uel mediocris a-
 liquis numerus eorum, qui ad eiusmodi
 rem sint idonei, reperiretur, dubiũ non
 est, quin plæraq; omnia commodiorem
 in statum breui peruenirent. Veritas e-
 nim aptè patefacta & demonstrata, sem-
 per in suo gradu consistit, nec ulla ui ex-
 pugnari potest, ac Deus immortalis con-
 silio et ope suis perpetuo succurrit, ut sin-
 gulis tēporibus, & hac quoq; memoria
 nō semel obseruatum est. Parum quidē
 ista quæ dico, pro me faciunt, si speciem
 emolumenta: sed ea uis est ueritatis, ut
 etiam ij, qui factis & moribus illam per-
 negant, necesse tamen habeant, & pro-
 pmodum cogantur, si non sermone ac
 palàm, tacitè tamen & conscientia teste,
 illam profiteri. Cum igitur à nostro ordi-
 ne uehementer peccatum esse sciam, nō
 grauati culpam agnosco, atq; ita sentio,
 primum ac potissimum delictum in eo
 uersari, quòd Episcopi populo sibi com-
 missio non cohabitant ipsi, uerum alij a-
 lijs de causis, quæ prope omnes ab am-
 bitione

bitione originem ducunt, aut Romani
 Pontificis, aut regum sectantur familias.
 Huic certe malo, quantum meae facultatis
 erit, medebor, ac Deum precor, ut
 conatum ac studium meum promoueat,
 et ijs, quorum ad curam proprie pertinet
 sanare morbos et emendare uitia, clementer
 adsit. Est enim officij nostri, ut in
 eo diligenter elaboremus, et detectis erroribus,
 in uiam redeamus ipsi, et alij, ut
 ad sanitatem reuertantur, simus auctores
 atque duces. Quod si rex animum huic
 applicaret, ac idoneis in eo uteretur ad-
 ministris: sane quae nunc sunt tempora,
 ualde proficeret, suique propositi multos
 esset habiturus adiutores, ac nihil facere
 posset magis aut sanctum aut illustre,
 neque Galliae tantum, sed totius etiam
 reipublicae Christianae magnopere in omnem
 partem prodesset. Si enim, qui sunt
 uelut deprecatores ac intercessores
 populi ad Deum, honeste uiuerent, suumque
 facerent officium, exorarent sine
 dubio suis precibus Deum, & complures
 ad emendationem uitae perducerent, &
 placatus Deus, bellum, pestem, annonae
 caritarem & id genus alias plagas, quibus
 nos pro scelere nostro ulciscitur, au-

ferret, suamque beneficentiam cumulatè nobis impertiret. deinde maxima uis pecuniæ, quam nostri ordinis homines, Ecclesiarum præfecti, ambitione quædam & inexplebili cupiditate maiora consequendi, profundunt, non excederet prouinciæ fines, quæ nunc à Romano curiæ sectatoribus et alumnis, præter omnem modum expilantur ac diripiuntur. Hoc autem non ita uelim accipi, quasi putem Ecclesiarum proceres à Romani Pontificis & regum familijs arcendos esse. minime enim istud arbitror, atque utinam multi sint ea uirtute & ingenio, ut regum adhibiti consilijs. publicam orbis terrarum salutem atque commoda procurent. Summam enim laudem merentur, qui his de causis eorum sectantur amicitiam, modo tamen interrim Ecclesijs atque muneri suo satisfaciunt. sed oratio mea omnis ad eos pertinet, qui uel gloriæ uel amplificandæ fortunæ cupiditate quadam sese ingerunt, & adeo nihil in commune profunt, ut etiam uitæ suæ exemplo multos offendant. Et hæc quidem hæcenus, de primo retinaculo regum, nempe de religione, à qua salus ipsorum omnis dependet

det. Proximum est, ut ius diligenter administrarent. hac enim sola ratione consistunt imperia, quæ, nisi ius obtineat, latrocinia uerius dici possunt. Et quoniam beneficio Dei pulcherrimis legibus ac institutis ornata est Gallia, rex auctoritate sua grauius ac seuerè illas cõseruabit. proximè enim & secundum religionem nihil est præstantius, nihil utilius, & reges idcirco Deus constituit, ut ius cuiq; suum reddant, & planè sit contra regis officium, si quo modo iuris dictionem impediret aut labefactaret. Sicut etiam munerum ciuiliũ & Ecclesiarum præfecti, nisi rem suæ fidei commissam diligenter & bona fide curent, nullo iure stipendium sibi dari postulant, imò, si quid eis depensum fuerit, æquum est ut restituant: ad eundem quoq; modum iudicari debet de regibus, qui ius non colunt. Hoc enim Deus ab ipsis flagitat & requirit, et quanquam eò spectare in primis oportet: tamen siue publicam totius regni, siue priuatam suam utilitatem considerent, ipsorum certè potestatis firmamentum in hac una re consistit. Iuris enim administratio regibus auctoritatem conciliat, alioqui copijs & exerci-

DE REP. GALLIAE

tu passim cōtinendi sint homines in officio atq; metu. sed natura uim omnes oderunt, & æquitate quouis adduci possunt, ideoq; legibus atq; præclaris institutis multò plus quàm uí armorū efficitur, ut omnium temporum documenta satis demonstrant. Jam uero, etsi de iuris dictione, deq; ijs quæ committuntur in ea re uitijs, plurima dici possunt; tamen tria solum, quæ ad regem proprie pertinent, explicabo. Primū est, ut uiros bonos atq; doctos iuri dicundo præficiat, & quoniam de ijs iudicare ipse non potest, negocium alijs dabit, ut eiusmodi cōquirant, & de cuiusq; doctrina atq; uirtute testimoniū dicant optima fide, si cut nostris legibus cautum est. Ipsos uero iudices atq; senatores commonefaciet, ut sincere agant, alioqui non laturos impune; cumq; se deceptum esse intelliget, uindictabit factum, ut sint reliquis documento. Nam quoniā optimis legibus Gallia est constituta, ut paulò supra dictum est, nihil ad summam scelicitatem ei deesse potest, modo sint fideles ac reipublicæ amantes, earum legum administri: qui cum uel suas tantum fortunas augere student, uel emerendi fauoris atq;

ris atq; gratiæ causa, ab equitate defle-
 ctunt, uel ingenio ac eruditione sunt
 destituti, incredibilem reipublicæ per-
 niciem adferunt. Controuersiæ enim
 crescunt ac producuntur in infinitum,
 & qui litigant, uarijs sumptibus exhauri-
 riuntur, & nemo credat, quanta sit ea
 prouinciarum pestis, eorū magis, quod
 horum in potestate facultates aliorū uer-
 sanur, & honos & existimatio, in Gal-
 lijs præsertim. Itaq; si rex, qui custos est
 atque defensor iuris, ut antea diximus,
 hominibus improbis & auaris & ine-
 ptis, rem tantam sciens committat, æ-
 quum est, ut de damno & iniuria, quæ
 cuiq; sit ab illis illata, satisfaciat, quem-
 admodum præfecti aut etiam mercato-
 res, quod ipsorum procuratores atq; ne-
 gociorum gestores fecerint, præstare so-
 lent. Et quoniã qui semel in hunc ordi-
 nē allecti sunt, non remouentur loco, ni-
 si grauissimis de causis, ut antea dictum
 est: rex, ut eos in officio contineat, sua
 ipse uoce nonnunq; interpellabit, & gra-
 ues multorum de ipsis querimonias ad
 se deferri dicet, simul hortabitur seue-
 re, ut quicquid est uitij, emendent, de-
 nunciata pœna nisi faciant; & quos præ-

DE REP. GALLIAE

ceteris diligentes, assiduos & incorruptos esse cognouerit, eos nouis ornabit beneficijs, ac liberis etiam illorum praestabit amorem, ut malis terrorem inferat, & bonos in spem atq; expectationem adducat. In primis autem danda est opera, ne largitiones locum habeant. quod fieri solet, cum ij, qui rem non intelligunt, pro alijs intercedunt, eo freti, quod facilem habent aditum. sed commendationibus horum nihil mouebitur nihilq; tribuet, nisi legitimas esse cognouerit. cunq; munus aliquod eius generis uacabit, tacite rem cum suis agat, & ubi illorum iudicio repererit idoneum, sua sponte nulloq; intercedente beneficium ei conferat. Sic enim corruptelam omnem atq; fraudem excludet, & qui sunt affecti beneficio, ei solummodo ferent illud acceptum. Alioquin aut largitionem interuenire, aut beneficiarium tuo patrono deinctu esse oportet, quorum utrunq; iuris officio plurimum infert impedimenti, ut nimis notu est. Hoc etiam ualde cauebit, ne ex litigatoribus alteri favore uel commendatione ullum praestet adiumentum, neq; uel minimam ullius affectus praebet significationem.

Tanta

Tanta est enim ipsius nominis auctoritas, ut etiamsi profiteatur, uelle se, quod æquum sit, fieri: iudices tamen eius commendatione commoti, facile succumbant atq; remittant, præsertim in lite paulò difficiliore. quod in nostris iudicijs est procliuus, ubi secundum id quod æquum uidetur, magis, quam secundum ius scriptum, pronunciat. qua quidem in re plurimum esse potest incommodi. Hanc ergo si quis rationem sequatur, ueri principis officium fecerit, & intercessoribus illis aditum atq; spem omnem præcludet, qui semel admissi, nullum sint importunitatis suæ facturi modumque finem. Et ista quidẽ ad causas ciuiles propriè, sed tamẽ ad criminales etiam pertinent, in quibus durum sese ac prope inexorabilem exhibebit, neq; temerè condonabit, præsertim si facinus paulò sit atrocius, ut uidelicet omnes intelligant, ipsum tota mente & animo ab eiusmodi flagitijs abhorrere. Quapropter & eos, qui pro scelerosis deprecantur, seuerè grauitèq; castigabit. sic enim & improborum audaciam reprimet, & in metu continebit omnes: contra uerò, si facilem atq; lenem se declaret, maximas

nocendi præbebit occasiones. Multa
 quidem adhuc dici possent huius argu-
 menti, sed ad alia mihi progrediendum
 est. Vnum modò restat, ut scilicet com-
 municato consilio cum uiris bonis et pe-
 ritis, & reip. studiosis, rationes inea-
 nuendi controuersias, ne in infinitum
 producantur, quod nostris moribus ni-
 misum inueterauit. Multi enim hac sola
 ratione ad summam inopiam redacti sunt,
 & complures, quod uel sumptum face-
 re, uel aduersariorum potentiam resistere
 se posse desperant, optimas aliquando
 causas deserunt. Ad politiam, quod ter-
 tium esse retinaculum diximus, quantum
 pertinet, quoniam sub eo genere com-
 prehenduntur Galliae decreta, leges, in-
 stituta, mores atque consuetudines, qui-
 bus in hanc tantam amplitudinem illa
 creuit ad hoc tempus: operam rex da-
 bit, ut quicquid est earum rerum, dili-
 genter et ipse seruet, & ab alijs quoque ser-
 uari præcipiat, eoque magis, quod cum
 ad ipsum imperij summa defertur, iure
 iurando facturum ita se pollicetur. Si
 quid ergo contra faciat, & Deum iniu-
 stitiae iudicem offendit, & conscientiam
 suam ipse lædit, & populi uoluntatem
 alienat

alienat, & nomini suo maculam inurit,
 & infirmio rem se redigit ipse. Primum
 autem est atq; potissimum, ne sui, hoc
 est, Galliaë patrimonij quicquam alie-
 net, nisi quantũ ei moribus atq; legibus
 regni permittitur. Nam alioqui fenestram
 aperiet multorum importunitati, & quum
 uni aliquid concesserit, non desunt alij complures, qui suis meritis
 idem beneficium deberi putant. quod si
 recuset, illos ut offendat, oportet. Hinc
 odium atq; simulas inter eius famili-
 ares, quod minimè sit futurum, si repu-
 diatis omnium precibus, non sibi licere
 dicat, quicquam earum facultatum lar-
 giri. Et quoniam in ijs quæ ad politiam
 pertinent, maior quædam est difficul-
 tas: ad eam partẽ, de qua supra dixi, que
 confociationem animorum, et omnium
 ordinum regni coagmentationem com-
 plectitur, oratio mea reuertetur. Nisi es-
 nim mutua quædam benevolentia & a-
 mor & obsequiũ intercedant, ne quicquid
 de rei summa bene sperabimus. Nobi-
 litatem ergo, qui primus est ordo, ma-
 gno studio complectetur, ac non solum
 ijs, quæ iam olim habent, privilegijs ac
 immunitatibus uti frui sinet, verum-
 etiam

etiam in cæteris rebus omnibus, & tribuere se plurimum ipsis & confidere, & fortunis eorum cupere quàm optime cõsultum esse, demonstrabit. Huius enim ordinis industria & singulari uirtute regnum hoc & initium habuit, ac deinde locupletatum est atq; confirmatum ad hoc usq; tempus. Hi sunt, qui rebus duris et asperis communem patriam ab hoste defendunt, qui pro laude ac salute regis nullum recusant periculum, qui præ cæteris omnibus regem ualde diligunt, obseruant, colunt, uenerantur, quoniam & commodiore utuntur conditione, & honesto natiloco, iam inde à paruulis ad morum ciuilitatem educati sunt & assuefacti. quò magis etiam conuenit, ut cæteris uirtute præstent, & caueant, ne quid suis maioribus & genere atq; loco indignum admittant. Quòd cum ita sit, præfecturæ tam ciuiles quàm Ecclesiasticae his potius quàm alijs debent attribui, modo sint idonei. Hoc enim & rationi & legibus omnibus est cõsentaneum: uerũ si non sunt apti, minime illis cõmittendum est aliquid, ut ea, de quibus antea diximus, incommoda uidentur. Si enim non ad uirtutem & eruditionem,
 sed ad

sed ad generis amplitudinem rex solum respiciat, & gratiæ atq; fauori omnia tribuat, nobiles pleriq; contemptis atque desertis bonarum artium studijs, ambrosiosæ omnia facient, quando eam esse primam atq; potissimam rationem alijs quid consequendi intelligent. Quod si autem loci atq; familiæ splendorē, propenihil, doctrinam uerò plurimum apud eum posse uideant; daturi sunt operam, ut eo præsidio muniti, uiam sibi ad honores patefaciant. Atq; hoc locum habet, non in ijs tantum præfecturis, quæ sunt utrisq; communes, uerum in illis etiam, quæ propriæ sunt ac solis tribuntur nobilibus. est enim discrimen inter ipsos faciendum, quoniam alij sunt alijs illustriori loco nati, & uirtute ac meritis alij alijs antecellunt. Videat autē, ne sic illis indulgeat, tantumq; permittat, ut uel reliquos ordines opprimant, uel etiam suæ conditionis obliti, minus ipsum reuereantur. Magna enim ex eo futura sit perturbatio, ut non semel in Gallijs cognitum est. Quam igitur habet potestatem summam, eam diligenter conseruet, neq; sinat ullo pacto minui uel interire, quo ipsum uidelicet omnes, ut præcipuum

cipuū ac legitimū magistratū agnos-
 cant. Humanitate quidem & mansue-
 tudine erga suos utetur, sic tamen ut
 honos atque dignitas ei sua constet, &
 quam habet iuris exercendi facultatem,
 ea ut seuerè conseruetur, elaborabit,
 eorū suis prefectis, quorum ad officium
 istud pertinet, auctoritate sua aderit,
 quod superioribus sæculis & prudent-
 ter institutum, & magna semper dili-
 gentia conseruatum est, & magni refert,
 ut ita sit. Est enim unum ex præcipuis
 regni præsidij acq; ornamentis. Neq; ta-
 men suis interim concedet, ut proceres
 ac reliquam nobilitatem, in ipsorum iu-
 re interpellent aut impediunt, nisi ma-
 gna quædam subsit & diu multumq; de-
 liberata causa. Nam si temere fidem illis
 habeat, futurū est, ut ad minimam occa-
 sionem, nobilibus litem sæpe faciant, &
 in iudiciū pertrahant, maximoq; affi-
 ciāt damno, propterea quòd etiamsi cau-
 sa cadant, sumptum tamen litis non pre-
 stant, eò quòd regis negociū egerint.
 Ut ne longius ergò quam equum est,
 atque oportet, progrediantur, illos mo-
 nebit. Alterum est, ut æquabiliter admi-
 nistrato iure, maleficia non dimittat
 impu-

impunita, sed seuerè ulciscatur, neque temere ignoscat, ijs præsertim qui militiæ student ac rebus bellicis. Hi enim quoniam & natura, & instituo ac uitæ genere ad omnem uim propendent, nisi coërceantur, facile sint oppressuri cæteros. Hæc autem seueritas adhibenda est quadam cum moderatione, pro delicti atque eius qui commisit, & temporis etiam atque loci conditione. Remittere uero pœnam atq; condonare minime omnium oportet, ut metu supplicij deterreantur omnes, ac belli tempore seuerius est animaduertendum, ut postea sum dicturus de disciplina militari. In distribuendis etiã muneribus publicis, ratione habebit naturæ atq; ingenij eorum, quos propius nouisse potest, cuiusmodi sunt uiri principes & id genus alij potentiores. Nam quos animo elato & seditioso esse cognouerit, ijs nihil tale committet, quo uel aduersum se uel contra rem publicã abuti queant. quod quidem illis, si potestatem obtineant, facile sit futurum, quando ob leuissimam quanque causam concitari possint & incendi. Quos autem magnæ uirtutis esse

esse compertum habet, eos præ cæteris
 augebit honoribus atque præfecturis,
 quoniam et hi facultatem, bene de repu-
 blica merendi, & populum habent ob-
 sequentioſiorem. Neq; tamen plus, quàm
 maiestati suæ conuenire uidebitur, eis
 tribuet, & ita se comparabit, ut & illi, &
 illorum subiecti imperio, ipsum in pri-
 mis ut authorem earum rerū omnium,
 reuereantur et suspiciant, & cum aliquid
 maioris momenti inciderit, ad ipsum
 confugiant. Nisi enim hanc grauitatem
 interponat, minuetur eius ad populum
 existimatio, & prouinciarum a. n. q; ma-
 iores præfecti, aut ipsorum etiam legati,
 proteruè et indigne multa facient, & pro
 temporum conditione consilia forsitan
 inibunt, pernicioſa reipublicæ, quod in
 imperio Romano scimus euenisse. Hæc
 autem omnia, non tam ad præsentem æ-
 tatem pertinent, quàm ut in posterum
 res bene constituentur. Prouidendum
 est etiam, ne is quem medium esse dixi-
 mus ordinem, potentia nobilitatem uin-
 cat, eiusq; facultates atq; copias minuat.
 hoc enim ad reipublicæ detrimentum
 pertinet, quæ nequicquam sit ab illis op-
 pem atq; præsidium, exhaustis eorum
 fortunis,

fortunis, expectatura. Sunt autem tria potissimum, quæ nobilium opes uehementer adfligunt. Ex ijs primū est, quod lites atq; causæ forenses, aliæ seruntur ex alijs, & producuntur in immensum, & maximos requirunt sumptus, eoq; fieri uidemus, ut iuris administri, nobilium possessiones acquirant, et horum copie sic attenuentur, ut cum ordinī atq; professioni suæ satisfacere non possint, multa præter decorum faciant. cui quidem incommodo facile possit occurrī, si modo rex & ij quorum utitur consilijs, animum huc adijcerent. De quæstoribus idem iudicium fieri debet. nam etsi magnam his auctoritatem tribui oportet, colligendæ causæ pecuniæ, quæ in regis erarium infertur: tamen adhibendus est modus, neq; permittendæ sunt illis rationes, quibus ipsi quidem locupletentur, alij uerò complures, honestioribus nati familijs, ad inopiam redigantur. Mercatores etiā, quod est ex tribus, quæ diximus, postremum, intra certos fines coercendi sunt. Inualuit nobilium consuetudo, ut magnificè & sumptuosè uiuant, & splendidissimè uestiantur. quæ duæ res & priuatim fortunas eorum ex-

inaniunt, et publicè quoq; plurimum no-
 cent: His enim rebus fit, uti maxima uis
 auri deferatur extra Galliaë fines, in quo
 permultum est incommodi, quoniam
 pecunijs Respublica, tanq̃ neruis atq;
 sanguine, consistit & alitur. In hoc igi-
 tur genere nihil quicquam rex facere
 possit utilius, quàm si luxū omnem com-
 primat. Nam & ualde offenditur Deus,
 & ut stipendia rex illis augeat, oportet.
 alioquin enim, quia sumptum uix tole-
 rant, non possint obire ministeria, qui-
 bus sunt destinati. Iam uerò, quò plus
 in hos elargitur atque distribuit, eò ma-
 gis populum uti grauet, necesse est.
 Hunc deinde luxum, alij quoque no-
 biles, qui publicè nihil administrant,
 & uulgò magna ex parte student imita-
 ri, ñ præsertim, qui sunt ascripti militiae
 & equitatus regis. Itaq; fit, ut qui uir-
 tute præditi sunt, quoniam illis pro-
 fusionibus uident suas facultates non
 esse pares, priuatam uitam agant; qui-
 bus alij postea, minimè cum his uirtute
 comparandi, succedunt, qui stultè plæ-
 rumq; & inutiliter sua dilapidant, etiam
 id quod equis et comparandis armis im-
 pendendum erat, & copijs deinde omni-
 bus ex-

bus exhausti, rapinis atq; deprædationibus incumbunt. quod etsi grauibus pœnis apud nos interdictum est, tamen frustrâ fit, quandiu stirps eius mali non tollitur. sicut cum corporis pars aliqua, uitioso corrupta humore adfligitur, etsi dolor fortasse mitigari potest, tamen, nisi qui causam morbi dant humores, expurgentur, nequicquam omnis adhibetur medicina. Nihil igitur utilius, nihil ad eam rem emendandam aptius, quàm ut à se suisq; familiaribus rex initium faciat, ut aliàs factum esse constat. Nam certè uera ipsius gloria non consistit in exquisitis atq; splendidis uestibus, imò studium eius rei immodicū, existimationem potius minuit. Neq; enim pro sua conditione atq; persona, quam sustinet, satis magnificè uestiri possit, & reperire liceat in infimo genere hominum, qui hac quidem in parte minimè illi cedant. Plus ergo laudis habitura est mediocritas, quam nimia huius rei cura, uerum est enim, quod uulgo dici solet, Extrema omnia propè esse uitiosa. Non hoc quidem dico, ut immundities aliqua sit et deformitas in eorum, qui regem sectantur, uestitu,

sed ut ne luxus aliquis appareat, neue
 extra modum sumptu & magnificentia
 prodeant, & ut certus modus, pro sua
 cuiusque conditione & ordine, sit praefini-
 tus. Neque enim promiscue omnibus per-
 mittendum est, ut quocumque uelint mo-
 do uestiantur, & hac in parte facta prin-
 cipum imitentur. Sanè, si quaedam adhi-
 beretur animaduersio, magnò sit futu-
 rum & publico emolumèto, nam ut hi-
 rudo sanguinem, sic ea, quam dixi, pro-
 fusio, neruos ac firmamentum reipubli-
 ce, pecunias, exugit. Est etiã aliud, quod
 ad mercatores propriè pertinet. Quae
 sunt Gallijs finitimae regiones, legibus
 ac more suo diligenter cauent, ne qua
 pecunia ex ipsorum finibus deportetur,
 & rationem habent, quemadmodum
 ab alijs ad ipsos importetur. Hunc mo-
 rem Gallia non obtinet, & si quid forte
 eius rei praecipitur, ab ijs, quos minimè
 omnium decet, uiolatur, idque saepe fit, ut
 quidem à nostris dicitur, studio gratifi-
 candi uicinis, ne molestè ferant, si quid
 eis denegetur: in quo tamen nihil est ra-
 tionis. Quam enim habeant offensio-
 nis causam, si quantum nobis tribuunt,
 tantundem ipsis inuicem permittatur.

Accedit,

Accedit, quòd Gallia, propter omnium rerum copiam & agrorum ubertatem, facile potest externis adiumentis & importationibus carere. & quoniã omnis generis rebus abundat, sic ut uix unquam exhauriri posse uideatur, hinc est, quòd pleracq; negligentius in hac parte administrantur. Maximam uero laudẽ ad omnem posteritatẽ mereatur, qui bonis legibus omneis reipublice nostrae partes constitueret. Tum enim dubium nõ sit, quin ceteris omnibus regnis Gallia prescriberet, quod facile sim demonstraturus, si res ita ferret, uerum id non est huius instituti. Quantum ad uulgus & promiscuam multitudinem pertinet: quanquam ex his quae supra dixi, facile est intelligere, quid in eo fieri oporteat: tamen quoniã maximi res est momenti, non grauabor ea paucis repetere. Primum est, ut rex quàm minimum illos tributis & pecuniarum exactiõibus grauet, uerum ita se comparet, ut intelligant suas fortunas & compendia ipsi esse cura. Hoc enim & Deo est gratissimum, & ad ipsius quoq; salutem animiq; tranquillitatem pertinet. Nec enim sine maximis illorum dispendijs ullam grandi-

Orem pecuniam imperare potest. Atqui
 nonnunquam eripitur miseris, quo care
 re omnino non possunt, quod illis atq;
 liberis & familię ad quotidianũ uictum
 est necessarium. in quo certę summum
 est flagitium, neq; dubium est, quin huius
 iniurię magnitudo, & eorum qui
 sic opprimuntur, gemitus, Deum uehe
 menter commoueat. Huc ergo respici
 ant reges, ac præterea cogitent, aliena
 ri hominum uoluntates, dum suę cus
 piditati nullum statuunt modum, ex
 eoq; facile posse turbas & seditiones o
 riri, præsertim si quis grauior casus re
 gnum adfligat. Accedit, quod extremę
 inopię uitandę causa, locum illi atque
 sedes mutare coguntur. quod ad ipsius
 regis detrimentum & infamiam perti
 net. Quocunq; enim perueniunt, ibi de
 iniurijs & indignitatibus & tyranni
 de, qua sint adflicti, rumorem spargunt,
 & famam longę lateq; excitant, & qui
 ad egestatem redacti sunt, agriculturam
 deserunt, & mendicando uictum sibi su
 isq; parāt. Sumptus ergo superfluos atq;
 luxum omnem rex moderari debet atq;
 uitare, ut ne priuatorũ fortunis calamita
 tatem adferat. Sed & ipsa exigendę pe
 cunię

euniarum ratio, nostris moribus usitata, modum aliquem & emendationem requirit. Colligitur enim infinita quedam vis pecuniarum, necque tamen ad regis aut reipublice commoditates impenditur omnis, & quaestores auctoritate ac nomine sui muneris confisi, multa saepe faciunt auare ac intemperanter, & ex miserorum hominum laboribus atque re familiari suas facultates amplificant. Opus est quaestoribus, ac sumptum facere oportet: scio, sed tantum est in ea re uitiorum, ut magna quadam & exquisita sit opus animaduersione, praesertim, cum ad cupiditatem & auaritiam quotidie aliquid accedat. In regis autem uoluntate sola positum est, ut haec omnia emendantur. Alterum est, ne rex permittat uulgus hominum a potentioribus opprimi, sed aequabili iure simul omnes contineat. in primis autem est prouidendum, ne quod incommodum illis aut uis inferatur ab ijs, qui militiae student & armis. quod tamen multis nostris legibus cautum sit, tamen ad hoc usque tempus frustra fuit, in eoque duplex est peccatum, Nam illi rebus atque fortunis afflictis, non possunt, quod regi debent stipendium

DE REP. GALLIAE

atq; uectigal, præstare: deinde, graue
quoddam odium in eos concipiunt, à
quibus diuexantur, magnisq; precibus
interitum atq; cædem eorum exoptant.
Postremum est, ut de ipsorum iure atq;
libertate nihil diminuat, sed permittat,
ut artes omnes ipsorum ordini conue-
nientes, exercent, & ijs quoque rebus
dent operam, quæ ex humili loco ad ma-
iorem dignitatem ipsos perducant, cuius-
iufmodi sunt, mercatura, bonarum lite-
rarum studium atq; doctrina, & militia,
in ijsq; rebus quos honestè & cum laude
uersari uidebit, eos fauore et gratia com-
plectetur & ope subleuabit, ut reliquos
etiam ad uirtutem incendat. Nam unus
aliquis hac ratione euectus ad altiore
gradum, exemplo suo complures alios
ad studia uirtutis extimulare potest, ut
quotidie experimur. Et quò rarior est
doctorum atque præstantium uirorum
prouentus: eò maiorem operam rex da-
bit, ut quibuscunq; rationibus potest, ad
uirtutem suos inflammet, ut uel doctri-
na, uel rei militaris scientia uel negoci-
ando, uel nauigando & id genus alijs
rebus excellent. Quia uero salus & incre-
mentum regni dependet à pacis & à bel-
liar-

li artibus, utrunque pro mea uirili de-
inceps tractabo.

CLAVDII SESEL
lij. de Republica Gallie & Regum
officijs, Liber secundus.



ALLIAE ROVR
omne ac firmamentum
quatuor in rebus potis-
simū cōsistit, ut omnes
ordines mutua quadam
beneuolentia regem ob-
seruent, eiq; pareant, ut facultatibus &
opibus plurimum possint, ut in armis
ac re militari sint quàm exercitatissimi,
ut quæ sunt in finibus oppida & arces,
opere ac arte muniantur. Hæc omnia
consilio prouideri debent & administra-
ri. parua enim sunt foris arma, ut inquit
ille, nisi est consilium domi. De duobus
primis nihil ferè sum dicturus, quoniam
ad eam rem quicquid pertinet, supra sa-
tis est demonstratum. de postremo etiã
ut pluribus agam, nihil attinet, quoni-
am satis per se clarum est. Nemo enim
ignorat, quàm sit necesse, habere in fini-

bus propugnacula quàm munitissima.
 Nam unū aliquod oppidū bene muni-
 tum, ac rebus necessarijs instructum, ad
 tolerandam obsidionem, ad alendum
 praesidia militū, & ad sustinendum vim
 hostilem, donec ei subueniat, maximum
 saepe momentum toti regno ad salutem
 adfert, quod cum alijs frequenter, tum
 hac memoria non semel cognitum est.
 In hanc ergo curā rex diligenter incum-
 bat, & sumptum in eam rem faciat, et pe-
 cunias ad certum tempus, in hunc usum
 imperet, ijs praesertim, qui fines inco-
 lunt, et qui tempore belli receptum habi-
 turi sint in ea loca, quae contra vim & im-
 petus hostium edificantur. Pacis autem
 tempore his rebus uacandū est. nam &
 populus multo minus grauatur, et opus
 ipsum in ocio melius perficitur, & cum
 bellū incidit, non ita perturbantur homi-
 nes, ut fieri necesse est, cum repente ac tu-
 multuose ad laborem accurritur. Tum
 enim hoc etiam est incommodi, quod
 in ea festinatione nihil ad diurnitatem
 aedificari potest. Verum in eo saepe pecca-
 tur, maximo & regis et populi detrimen-
 to: quamobrem, quibus zarū rerum est
 demā data cura, ijs, certe magnopere pro-
 uidere

uidere debent, si sunt reipublicæ aman-
 tes, ut oportune suoq; tempore singula
 administrantur. Quoniã uerò et non o-
 mnes sunt ad eiusmodi res idonei, et ple-
 ricq; suis ferè student commodis: erit ex
 usu reipublice, si rex, cum ei per negocia
 uacat, circumspicietur per omnes pro-
 uincias, et regni fines imprimis accedat,
 ut cuiusmodi fiant locorũ munitiones,
 et quomodo populus gubernetur & an
 præfecti, in suo quisq; genere, officio fun-
 gantur, ipse cognoscat. Quocunq; au-
 tem accesserit, populi salutem sibi esse
 curæ declarabit, & eos qui quaq; de re
 querentur, benignè patienterq; audiet,
 et quod iniquum esse cognouerit, emen-
 dabit. Nam hoc ipso beneuolentiam &
 animos hominũ, multò magis, quàm si
 literis tantum & mandatis rem ageret, si-
 bi conciliat, & omnis generis præfectos
 ac belli duces, in officio ac metu conti-
 net, & illos, in quorum agros peruene-
 rit, questu auget. quod in finibus maxi-
 me est necessariũ, ut uidelicet homines,
 quia sumptum plus q̃ reliqui facere co-
 guntur, sint quàm maxime pecuniosi.
 Nunc ad illud, quod tertiũ esse diximus,
 descendam, ad militiam & ad belli stu-
 dium

dium, qua quidem in re multum est difficultatis, & ad cognoscendum & agendum. Suprà dictum est, usum armorum esse proprium nobilitatis, neq; populo debere permiti: sed maiorem disputationem res ista requirit. Primum enim negari non potest, quin populus assuefactus ad arma, facile possit ad rebellionem incitari, ut regis auctoritatem proijciat, & nobilitatem omnem opprimat, ut paulò supra hanc memoriam commentum est. E diuerso, magni res est periculi, si in armis nō sit exercitatus. Cum enim bellum ab exteris infertur, nullum habemus idoneum peditatum, quo tamen minime carere possumus, quando uel Angli, uel Germani, uel Heluetij bellum nobis faciunt. Hi enim ferè sunt pedites, ideoq; statim ubi de illorum copijs aduentantibus nunciatur, quantumlibet exquis, nostri quamlibet multati, etiamsi equitum habeant praesidia, concursant ac trepidant, suisq; rebus plane desperant, eumq; timorem ubi uident equites, incipiunt & ipsi animo esse deiecto, quando quidem absq; peditatu sciunt non se posse impetus illorum sustinere, atq; eò fit, ut hostibus, qui hæc non
ignorat

ignorant, multò maior accedat alacritas oppugnandæ Gallia, quod minimè sit futurum, si populo, qui est frequentissimus, concederetur usus armorum. Facile quidem est regi, propter potentiam et opes, conducere manus peditum exterorum, quos confecto bello dimittat, quod absq; magno suorum dispendio facere non possit, si milite utatur, in Gallia cõscripto. Fateor equidẽ, sed periculi plenum & sæpe fuit, & esse potest hodie, uti externis auxilijs. Primum enim, ingentem pecuniæ uim extra Gallia fines illi secum asportant, deinde, fieri nõ potest, ut eis, præsertim humilis conditionis hominibus, cuiusmodi ferè sunt pedites, tantum tribuatur fidei, quantum incolis regni, neq; sic ad officium cogi possunt, nec obsequentiam illam, quam nostri homines, præstant, & cum stipendium persoluitur, satis fieri uix illis potest, & si quid deliquerunt, uindictari non possunt, quum aliquo sunt maiori numero. Atqui delictum possit eius esse generis, ut summa calamitate regnũ uniuersum adficiat, si uidelicet ipsorum culpa uel prælium sit factum aduersum, uel oppidum aliquod amissum. Sed &
hoc

hoc metuendum est, ne si uiribus & numero superent, aliquam regni partem occupent, ut non in Gallijs tantum, sed alijs etiam in locis aliquando cōpertum est. Fieri etiam potest, ut illis aut uoluntas desit aut facultas, in tempore succurrendi, atque interim hostes maximo aliquo damno repub. afficiant. Assuefacere autem homines natura bellicosos, & præmijs ac pollicitationibus allicere, permultum est in eo periculi. Nam & nostrum belli gerendi morem & scientiam omnem, & si quid in nobis desideretur, item promiscue multitudinis infirmitatem ac inscientiam, & quæ loca sint munita, quæ minus, breuiter, portus & aditus omnes usu cognoscunt, simul, quantæ sint Galliæ facultates ac opes, perspiciunt, hisq; rebus omnibus ad bellum nobis inferendum, extimulant. quod multis alijs regnis, & huic quoq; recentis memoria, scimus accidisse. His ergo de causis mihi uidetur, quod adeo sit ineptus ad arma populus, ut externis semper utendum sit auxilijs, magnum in eo esse discrimen. Multis enim historijs rû testimonijs demonstrari potest, eos, qui numeroso milite sunt usi peregrino, tandem

tandem in summas ob hoc ipsum incidisse calamitates. Quum igitur periculum sit utrobique, consultissimum esse uideatur, instituererationem illam, de qua non semel est deliberatum, ut per omnes regni prouincias, ex plurimis paucique quidam deligantur, quam minimum uitiosi, qui ad militiam uidentur & natura esse facti, & optimè posse assuescieri. His autem præficiendi sunt eiusdem regionis homines, qui singulos norint, ac fidem suam pro illis interponant, eosque militum præfectos oportet esse uiros integros, & minimè auaros, qui fauori & gratiæ nihil tribuant, in ijs præsertim, quæ ad regem remque publicam pertinent, qui militem ad disciplinam & temperantiam instituant. His ipsis uerò præerunt maiores illi præfecti, Connestablii, & Marescalli, eorumque legati, ac prouinciarum præsides, operamque dabunt, ut pacis tempore in armis exerceantur, ad eamque rem utentur militibus aliquot externis ueteranis, qui doceant, quis ordo seruandus, quomodo instruenda acies, atque pugnandum sit, & quicquid est eius generis, cumque delectus habeatur, seueritatem adhibebunt, & ne

et ne qua fraus omnino interueniat, proci-
 uidebunt, in primis autem, ut quammi-
 nimo populi detrimētō istud fiat, ideoq̄
 belli tempore stipendia illis, quantum ia-
 tis erit, præbebunt, in ocio autem, ne
 quid eis ad mediocritatem desit, cura-
 bunt. Interim uerò dum nostri discunt,
 & usum armorum sibi comparant, si qua
 necessitas incidit, licebit aliquam exte-
 rorum manum conducere, quibuscum
 nostri militent. Neq̄ uerò tunc etiam,
 cum erunt exercitati, alienum fuerit, ex-
 teris uti, partim, nostros subleuandi cau-
 sa, partim, ut ipso peditatus genere præ-
 stemus, partim, ut ex qua gente militem
 conducimus, ea nobis concilietur, & be-
 neuolentia quadam adiungatur. Sed in
 eo uidendum est, primum, ut ijs utamur,
 quos maximè fideles arbitramur
 nobis fore, deinde, ut numero sint nos-
 tris pauciores. Ita enim nullus erit of-
 fensionis locus, & facultas illis deerit, op-
 primendi nostros, et si quid grauius ad-
 miserint, absq̄ magno negotio poterunt
 coherceri, & cum non equitatum modo
 nostrum, qui multo iam usu est omnium
 longè exercitassimus, sed peditatum etiam
 am uidebunt in armis excellere, non so-
 lum uim

lum uim nullam inferre audebunt, sed
 ne qua ipsis inferatur uis, metuere etiam
 cogentur, ideoq; pacem nobiscum per
 petuo colent, ac magnopere cauebunt,
 ne offendant. itaq; fiet, ut pecuniæ non
 exportentur è Gallijs, & populus mini-
 mum grauetur, neq; sit ullus grauior
 motus pertimescendus. Nam qui per
 singulas prouincias conducentur mili-
 tes, quoniam & pauci erunt singulis in
 locis, & interiectis spatijs dirimentur,
 nõ poterunt aut excitare alios ad rebelli-
 onem, aut coniurationem aliquam in-
 ter se facere, neq; uerò causam habituri
 sunt cur faciant, aucti stipendijs alijsq;
 priuilegijs, præ cæteris sui ordinis homi-
 nibus. imò, quoniam his beneficjs or-
 nantur, multò erunt obsequentiores, ac
 diligenter, ne quid animaduersione di-
 gnum admittant, cauebunt, & cum ex-
 equendum erit aliquid in iudicijs defini-
 tum, præstò semper erunt. Hæc autem
 non sic accipi debent, quasi putem eos,
 qui sunt ad regni fines, non oportere ma-
 gis esse in armis exercitatos, quàm qui
 longissimè à finibus absunt. Minimè
 quidem istud; uerum ità sentio, qui sunt
 præfecti finibus, debere illos allidere ac

DE REP. GALLIAE

propositis præmijs inuitare, ut sagittis, & arcu & tormentis, & hastis & gladijs, idèq; genus alijs armis diligenter se exercent, non quidem omnes indifferenter, sed ij cum primis, qui corporis figura & natura uidentur esse idonei. Nam certè opus est, ut qui fines incolunt, habeant quibus se suaq; defendant. arma, ne à uicinis & finitimis opprimantur. Multæ enim oriri solent de finibus contentiones, eoq; si ex longinquis sint euocandi milites, qui resistent, maximo sit futurum eius regionis, cui subsidio mittuntur, detrimento. Natura etiam, atque more ita comparatum est, ut qui ad ipsos regni fines habitant, pro laude atque commodo sui principis, maiori studio, quam alij, contendant, ideoq; ferè tributa & uectigalia, quæ reliqui dependunt, ipsis remitti solent. quanq; & hoc alioqui fieri æquum est, propter sumptum quem pro cæteris faciunt, & rei familiaris dispendium, ac uaria pericula, quibus belli tempore sunt expositi. Nam et præsidia militum alunt, & excubare ipsos, atq; locorum munitionibus deseruire oportet. De classe & exercitu maritimo instituendo; postea sum dicturus.

Et quoniam

Et quoniam in hoc genere præcipuum est, ut tam equitum quam peditum copia ad disciplinam militarem, non minus pacis quam belli tempore, domi pariter atque foris assuesciant: ex hoc enim fonte profluit quicquid est belli studij commodi sperare licet, idcirco pauca quædam de eo sum dicturus, & prolixitatis uitandæ causa, quæ Valerius & quæ Vegetius copiosè de his rebus tradiderunt, prætermittam, ac ea solum, quæ nostræ ætati maximè conueniunt, exponam, quid uidelicet detrimenti respublicæ acceperit propter neglectam disciplinam, & quomodo in posterum huic rei facienda sit medicina. his explicatis, quod reliquum est, prudentiæ regis, & eorum fidei, quibus auctoritatem rex tribuit, commitemus. Primum igitur, quanti sit momenti hæc, de qua loquimur, disciplina, nemo qui cognitas habeat historias & res gestas, Romanorum præsertim, ignorare potest. Hi enim præ cæteris diligentissimè illam serauerunt, & eius adiumento potius, quam robore aut ui armorum, ad eam imperij magnitudinè peruenerunt. quod Valerius Maximus alijsq; multi testatur, & duces

aliquot populi Romani nomināt, qui ad ueterem disciplinam reuocato & instituto milite, uicerunt hostem antea uictorem eius populi, ob proiectam atq; desertam disciplinā: & qd de Scipione Africano bellū gerente in Hispanijs commemorāt, ualde est præ ceteris illustre. Hoc igitur & id genus alia documenta, principum animos ad imitationem excitare debent. Duabus autem in rebus ea disciplina potissimum consistit, quæ simul coherent neq; separari inuicē possunt. Primum est, ut qui præficiuntur copijs, egregia sint uirtute, alterum, ut milites dicto sint audientes. Nam si & exercitus imperator est idoneus, & reliqui sub eo præfecti, tribuni, centuriones, ac uulgus militum, eius præceptis obtemperāt, dubitari nō debet, quin recte omnia procedant. Cum autem ex his alterum deficit, fieri non potest, ut aliquid laude dignum perficiatur. Nisi enim belli dux multo usu comparatam habeat rei militaris scientiam, nisi exacte teneat, quomodo res in omnem euentum atque casum administrari debeant, & nisi ea sit uirtute, prudentiā & animi fortitudine, ut quod optimum in concilio uisum fuerit, na

it, nauiter efficiat: despicietur non à suis tantum, sed ab hostibus etiam, & cum aliquid agere instituit, milite utetur inuito & trepidante: quòd si autem uirtutis opinionem haberet, alacres ac fiduciae pleni milites, nullum laborem atq; periculum sint recusaturi. Dici enim non potest, quàm multa secum trahat incommoda, bellidux aliquis aut ignauus atq; timidus, aut imperitus. Nihil enim circumspicit, nihil prouidet, nihil opportunè constituit, & facile circumuenitur ab hoste, & sæpenumero fallitur & errat, in quo reipublicæ salus nonnunquam tota periclitatur. Neq; uerò satis est, attribuere illi homines idoneos atq; peritos, qui in cõmune consulant: sed ipsum oportet ingenio ac prudentia ualere, ut rem, quæ in deliberationem uenit, intelligat, & inter multorum opiniones iudicium facere possit, ne quod pessimum est, eligat. Qua quidem in re tantò maiori est opus animaduersione atq; industria, quòd non raro fieri solet, ut cum pauci quidam apud imperatorem exercitus omnia possunt: reliqui indignentur atq; moleste ferant, & quæcunq; res inciderit, ijs ipsis, quos præferri sibi do-

lent, contraria ferè pronuncient. Sepe etiam fit, ut exercitus præfecti, qui uel per ætatem uel alioqui uix tenuem habent rerum usum, hominibus idoneis & exercitatis anteferant eos, à quibus uel à paruulis educati sunt, uel qui auribus ipsorum atque uoluptatibus seruiunt. Ut autem belli dux per se ipse sapiat, uel ideo est necesse, ut cum aliquid repente incidit, quod aut deliberationem atq; moram non patitur, uel quod silentio regi oportet, idoneè, quod opus est, constituat & agat. Nam etiam si prudentissimorum hominum utatur consilio, tamen, nisi re ipsa uirtutem representet ac militum animos sibi deuinciat, parum profecerit. Quid autem opus est pluribus uerbis? Quia nõ semper ad uirtutem animiq; præstantiam respicitur, sed fauore atq; gratia res agitur, & qui cõmodum aliquem nacti sunt intercessorem, aditum ferè habent ad eiusmodi præfecturas, idcirco tantæ sæpe calamitates in rem publicam nostram inundarunt, ut in hominum quotidiano sermone nihil sit frequentius & usitatum magis. Itaq; si quis præditus esset his omnibus, quas dixi, uirtutibus, magnò
 fit res

sit redimendus, ac omnibus alijs præ-
 ferendus, & illustri loco nati princí-
 pes, non sint ægre laturi, si uoluntate re-
 gis, imperio illius obtemperent. Sed
 quoniam difficile est inuenire, qualem
 desideramus, relinquitur, ut eos, qui
 proximè ad perfectionem accedunt, e-
 ligamus. Cicero putat in summo im-
 peratore quatuor has res inesse oportere,
 scientiam rei militaris, uirtutem,
 authoritatem, foelicitatem. Ad hæc ita
 gitor respiciendum est, cum aliquis
 deligitur, tametsi quod de authoritate
 dixit, superuacaneum esse uidetur. Nam
 qui duo illa solum habet, quæ primo
 loco dicuntur, hunc necessario ferè co-
 mitatur authoritas, si modo rex illius
 uirtuti tribuit quantum oportet. Ex
 his autem duobus utrum antecellat,
 nunc dispiciendum est. Quæritur e-
 nim, cum duo sunt, quorum unus scien-
 tia rei bellicæ, alter autem uirtute excel-
 lit, uter sit præferendus. Cicero uidetur
 ita sentire, ut existimet uirtuti esse præ-
 ferendam scientiam: nobis autem se-
 cus apparet. Virtute enim, quæ sit ad-
 iuta fideli consilio, longè plus effici pos-
 test, quàm sola scientia, quæ uirtute ca-

feat. quod in Alexandro, Hannibalè,
 Scipione, satis demonstrari potest, qui iu-
 uenilibus annis præfecti summæ impe-
 rij, non poterant per ætatem, tantis re-
 bus gerendis idoneam aut satis magnã
 habere scientiam: sed quoniam innatã
 fuit ipsis præstantissima quædam uis a-
 nimi, multò fecerunt illustriora, quàm
 alij. in armis quidem & usu militari plu-
 rimis annis exercitati, uerum ea, quàm
 diximus, uirtute destituti. Duobus igitur
 in medium adductis, quorum alter
 sit rei bellicæ peritissimus, uim autem il-
 lam animicq; fortitudinem non habeat,
 alter uerò non magnum quidem habeat
 usum armorum, animo uerò sit excellen-
 ti, & ad omnia subeunda parato: hunc
 certè longè illi præposuerim, tū propter
 ea quæ diximus, tum quòd hic scientia
 am exercitatione, ille autem robur ani-
 micq; præsentiam uix illo tempore sibi
 comparare posse uidetur. Sed quoniam
 uix est, ut qui pluribus annis militiæ stu-
 duit, & rem omnem perspectam habet,
 non sit etiã animosus, & quia multi ui-
 cissim reperiuntur, animo quidem pa-
 ratu ad quiduis, minimè uerò periti rei
 militaris: hanc esse puto causam, cur Ci-
 cero

tēro scientiam illam inter ea, quæ in im-
 peratore requirit, primo loco numera-
 rit. Dignitas autem atq; splendor fami-
 liliæ, magnam tum authoritatem tum
 beneuolentiã imperatori cõciliat. Cum
 ergo uirtute præditus est aliquis illustri
 loco natus, præferri debet alijs inferiori-
 bus: quod tamen sic accipiendum est, si
 in uirtute nihil sit temeritatis, quæ sapi-
 entum & peritorum hominum consilia
 repudiet. In eo enim tantò plus est peri-
 culi, quantò maiorē ille potestatem obti-
 net. Verum si moderato sit ingenio, &
 quos peritos esse cognouit, eos libenter
 audiat differētes de rebus, & si iudici-
 um habeat, ut disceptata causa, quod
 optimum est, eligat, eiq; facultati uim
 etiam animicq; promptitudinem adiungat:
 omnibus alijs, meo quidem iudicio,
 debet anteponi, eiq; sunt attribuendi
 uiri prudentes, qui quod in eo forsi-
 tan desiderabitur, suppleant. Et quan-
 quam hæc proprie ad legatum regis per-
 tinent, cui demandata est summa rerum,
 tamen, cum rex ipse bello intererit, et-
 iam si magna sit præditus experientia, ual-
 de cauebit, ne rem ullam maioris mo-
 menti, nisi communicato prius consilio,

faciat. Alterum, quod in belli duce in-
 esse oportet, in Gallijs ferè contemni-
 tur, ut sit eloquens, & omnis generis hi-
 storias tam ueteres quàm recentes habe-
 at exploratas. Cum enim grauius ali-
 quod tempus incidit, cū magnę res dif-
 ficultatis atque periculi obijcitur, ele-
 gans atq; prudens imperatoris oratio
 uehemēter inflammat militum animos;
 quòd si uerò nihil eiusmodi interueni-
 at, remollescit eorum uirtus, ut in C.
 Cæsaris commentarijs non uno loco
 uidere licet. Quid enim oratio possit
 firmis adiuta sententijs, declarauit idem
 Cæsar, cum ad Vesontionem Sequa-
 norum oppidum, aliquandiu moratus,
 aduersus Ariouistum Germanorum
 regem, cum exercitu proficisceretur.
 Hoc genus alia testimonia multa repe-
 riuntur in Xenophontis libro, qui de
 Cyri profectioe in Persiam est conscri-
 ptus, quē librum in nostrā linguam ipse
 conuertit: reperiantur item quàm pluri-
 ma in Salustio, Tito Liuiō, Q. Curtio,
 & omnibus pariter historicis. Quamob-
 rem itā statuo, quòd si consuetudo illa
 uetus concionandi ad militem reuo-
 caretur in usum, & ab imperatoribus
 nostris

nostris recoleretur, non mediocrem ex
 ea re commoditatem posse ad Rempu-
 blicam redire. Et hæc quidem de im-
 peratoris aut legati regis officio satis
 dicta sint: nunc uerò quid regem in-
 uicem facere oporteat, paucis demon-
 strabo. Quem ergò suis copijs præfe-
 cit, huic omnem auctoritatem admini-
 strandi belli tribuet, sic ut nemo sit in
 castris atque exercitu, qui non ei pare-
 at. qui uerò secus fecerint, in eos gra-
 uiter uindicabit, & quò maiori est pò-
 tentia is qui detrectat imperium, & quò
 plures ad idem facinus impellere po-
 test: eò seueriori pœna mulctari debet.
 Nisi enim auctoritatem belli dux ob-
 tineat, & nisi in honore ipsum habe-
 ant, ac dicto sint audientes milites, ni-
 hil unquam laude dignum efficiet. Hinc
 est, quòd supra diximus, non proba-
 ri Venetorum institutum, qui cum in
 continente bella gerunt, legatos adiun-
 gunt, qui exercitus imperatori præscri-
 bant. Si prælio sit dimicandum, si quod
 oppidum obsidendum, si mittenda sub-
 sidia, si dimittendi milites aut etiam
 conducendi, si facienda sit oppugna-
 tio, si deditioe capiendi qui obsiden-
 tur

DE REP. GALLIÆ

tur, si puniendi facinorosi, si remunerandi & præmijs ornandi aliqui propter uirtutem, si constituendi præfecti, in his rebus omnibus, quid agendum sit, illi præfiniunt. In quo sane ualde peccatur. nec enim ullum aut collegam aut maioris authoritatis aliquem, qui non sit in re bellica exercitatus, attribuere oportet imperatori. Quantum uerò ad reliquam administrationem attinet, non me latet, opus esse pluribus, partim ut belli dux non distineatur alijs occupationibus, partim, quòd eiusmodi munera sunt ab eius remota professione. nam alij sunt ad alias res magis idonei. Sed eius tamen, qui summæ rerum præficiatur, authoritas, intra hos fines includi debet, ut quoties aliquid maioris incidit momenti, quod celeritatem non requirit, ab ipso rege petatur consiliũ. In eius quidem potestate non erit, nouum aliud quod excitare bellum, aut pacem induci a se longiores facere cũ hoste, nisi iussu ac uoluntate regis, aut nisi magna quædam interueniat necessitas. Tunc enim licet, atq; ut paucis absoluiam, pro conditione hominis, atq; causæ & pro magnitudine interualli, tribuenda est illi potestas.

potestas. Sic enim Romani, consulibus ad longinqua bella proficiscentibus, maiorem concedebant potestatem, quam cum in Italia bellum gerebatur: sæpe etiam, pro eius, qui mittebatur, uirtute, plus minusue tribuebant. In summam uerò difficultatem rebus adductis, creabant Dictatorem, penes quem erat omne arbitrium. Qui plura uolet cognoscere de his, quæ in belli duce requiruntur, facile sibi ipse collegerit ex plerisque libris ea de re scriptis, et ex historijs, ijs præsertim, quæ clarissimorum hominum res gestas commemorant, cuiusmodi fuerunt Cyrus, Alexander, Pyrrhus, Hanibal, Marcellus, Fabius, Scipio, Themistocles, Lysander, C. Cæsar, & id genus alij. quorum facit mentionem Plutarchus. In iisdem quoque libris reperire licet abundè, quicquid ad disciplinam militum pertinet, quod est alterum mei propositi caput, & quanquam à superiori dependet, tamen separatim de eo loquar, non multa quidem, sed ea solummodo, quæ ad nostrum tempus propriè pertinent, quæque & ipse uidi, & ab hominibus earum rerum peritis cognoui. Sunt autem tria potissimum eius disciplinæ præcepta: ex
ijs prt=

ijs primum est, ut milites imperatori suo
 pareant, de quo satis antea. Scipionis
 Africani dictum celebratur, Mille mi-
 lites obsequentes, praestare decem mil-
 libus non obtemperantibus. Ab ipso
 autem duce pendet haec obedientia.
 Nam si nomini ac professioni suae re-
 spondet, si rex illi, quam oportet autho-
 ritatem tribuit, non dubium est, quin di-
 cto sit habiturus illos audientes. Nec e-
 nim ulla reperitur hominum natio tam
 barbarata, tam efferata, quae legibus atque poe-
 nis non possit ad officium & equitatem
 adduci. Haec autem seueritas in primis est
 necessaria militiae, nisi enim interueni-
 at, tumultuose ac perturbate omnia fi-
 ent. qua quidem in re quantum sit ma-
 lorum, quis omnium ignorat? Valde sunt
 igitur reprehendendi praefecti, qui con-
 ciliandi fauoris causa, uel ut benigni at-
 que clementes uideantur, nimis leui-
 ter militibus ignoscunt, ac saepe etiam
 delicta dissimulant, in quo tanto magis
 peccatur, cum uel imperatori non est
 obtemperatum, uel aliquid contra leges
 aut militiae morem admittitur: quae cum
 dimittuntur impunita, summam adse-
 runt licentiam, ac disciplinam omnem
 eneruant.

eneruant. Seueritas enim magis, quàm
 facilitas atque mobilitas imperatorem
 decet. Erat Iulius Cæsar in cæteris re-
 bus omnibus clementissimus: belli ue-
 rò tempore non item, neq; tamen idcir-
 co milites eum oderant, imò uehemen-
 tissimè amabant, ferè enim fit, ut qui ni-
 mium militibus indulgent, eblandien-
 di fauoris atq; gratiæ causa, tandem ob
 hoc ipsum uituperentur & in odia plus
 rimorum incurrant: qui autem in officio
 illos continent, hi et amentur, & ma-
 gnis celebrentur laudibus. Vt ergò le-
 gibus pareant, & pro scelere ipsorum
 puniantur milites, imperatoris est pro-
 uidere, tunc in primis, cum uel singula-
 ris aliquis, uel complures etiam priuati,
 aliquid animaduersione dignum ad-
 miserunt. Cum enim aut totus exerci-
 tus, aut pars eius aliqua deliquit, dissimulandum est nõnunquam pro tempo-
 re, maioris uitandi motus causa: ue-
 rum ubi nullum est amplius periculum,
 dabit operam, ut aut ulciscatur factum,
 aut ità se comparet, ut omnes intelligant,
 iniquissimo se animo ferre, quicquid
 contra maiestatem imperij, remq;
 publicam admissum sit, neque in postea-

rum eiusmodi petulantiam esse dimissurum inultam, Cauebit etiam, ne quam militibus det causam seditionis: quod erit, si de ipsorum iure nihil diminuat, si nihil cupidè nihil auarè committat, si liberalitate iuuet eos, qui uidebuntur esse digni. sed in primis cauendum est, ne quam fraudem in stipendijs faciat, & ut ad certum diem ea dependat, neq; solutionem differat, & cum in promptu non erunt pecuniæ, dolere sibi demonstrat, simul operam det, ut acceleretur, atq; interim omnem humanitatem illis præstet. Si qua uerò sit commeatus inopia, confirmabit eos, quibuscunq; poterit rationibus, ac se quoq; in eadem esse difficultate ostendet, inq; rebus omnibus amorem suum in ipsos declarabit, eorumq; incommodis non secus atq; proprijs affici atq; commoueri se præ se ferret, sic tamen, ut sui muneris atq; loci dignitatem seruet, neq; nimum se demittat, ad illos præsertim, qui sunt seditiosi & minus obtemperantes. Duces autem atq; præfectos, & centuriones & præcipuos quoq; milites, amâter ac familiariter habebit, & ex omnibus copijs unam aliquam cohortem, de qua maiorem

uirtus

uirtutis opinionem habebit, singulari beneuolentia complectetur, & quantam eam faciat quantumque tribuat, significabit. quod tamen ea dexteritate fieri debet, ut reliqui non inuideant, sed ad æmulationem excitentur ac uirtute cum illis contendant. Facile hoc efficiet ac consequetur, si meritis honos ille ac beneficentia tribuatur, sicut C. Casarem erga legionem decimam fecisse constat. Hanc rationem si sequatur imperator, non temere nascentur seditiones, aut natae, minimo negotio componentur. Alterum eius disciplinae præceptum est, ut milites honestè ac sobriè uiuant, quorū illud ad pietatem & ad Rempublicam pertinet, ne uidelicet Deum offendant. Non est ergo concedendum illis, ut nomini diuino contumeliam ullam faciant; ne qua uis etiam sacris inferatur locis & Ecclesiasticis & uiduis & pupillis et alijs id genus calamitosus hominibus, imperatoris est prouidere, suosque à libidinis & raptu & stupris, magna cōstituta poena, prohibebit. Eiusmodi enim maleficijs irritatus Deus, graues nunquam plagas immittit, ut tam sacrae quam prophanae historiae testatur. Scor

tis igitur nullum in castris locum permit-
 tet, ut Scipionem Africanum in Hispani-
 nis fecisse legimus. Quod si autem gra-
 uioris incommodi uitandi causa conce-
 dendum est, quemadmodum in ciuitati-
 bus fieri uideamus, curabit tamen, ne nu-
 merus modū excedat, et tum uerbis tum
 re ipsa militibus demonstrabit, impurū
 illud uitę genus displicere sibi uehemen-
 ter, & qui eo sunt contaminati, leuiter æ-
 stimabit, eos uerò qui temperanter &
 honestè uiuunt, magni faciet. Quia enim
 maximam temporis partem in uitę peri-
 culo uersantur, idcirco decet eos pietas
 atq; modestia, sed & uehementer in eo
 peccant nostri homines, præsertim pedis-
 tes, ac uitę turpitudini hoc etiam scelus
 adiungunt, quòd magnis iniurijs no-
 diuinū afficiunt, idq; adeò nunc obtinu-
 it, ut nullius ferè sit pretij, et ignauus esse
 putetur, qui non in eo maximè excellat,
 quò minus debet uideri mirum, quod ni-
 hil egregiè perficiant. Cauendum est eti-
 am, ne qua similtas inter ipsos oriatur,
 uel ut orta statim sedetur, uitandi causa
 maioris periculi. quod maximè tum so-
 let euenire, cū in exercitu sunt non unius
 gentis atq; linguę homines, Optimum
 igitur

igitur est, ut qui moribus et lingua et institutis inter se differunt, non contineantur in eisdem castris, uerum ut alij separentur ab alijs, nec ulla praebeatur ipsis occasio miscendi se, quod fieri consuevit, cum uel annona distribuitur, uel ad direptiones atque praedam concurritur. Ad eam rem ualde confert praefectorum atque centurionum mutua inter ipsos notitia & beneuolentia. Continenter etiam atque obriuiuendum esse militibus, antea diximus, ut scilicet in uictu quotidiano & uestibus omnem luxum defugiant, neque se mollitiei dedant, quod nunc per totam ferè Europam fieri uidemus, maxime uerò per Galliam, ubi sic assueuerunt delitijs, ut in castris non minus copiose & laute & molliter uiuant, quam si domi essent. Ex ipsis plerique nunquam ferunt arma, nisi cum necessitas urget, cum uel metuunt, uel dimicandum est praelio, et ne tunc quidem laborem adhuc subeunt, sed armorum partem maiorem suis calonibus atque seruulis ferendam tradunt, qua quidem in re multum sanè est incommodi. Primum enim, remittitur eorum uirtus, ac relanguescunt animi & effeminantur, quod Hannibali eiusque co-

pijs, dum Capuæ ac in reliquis Campa-
niæ locis moraretur, scimus accidisse.
Deinde, maximo comœtu opus est il-
lis, et summa rerum copia, neq; enim re-
bus ad uictum necessarijs contēti sunt,
sed exquisitissimos etiam cibos requi-
runt, & si quid desit, agunt seditiosè, &
propter mutatum uitæ genus consues-
tum, incidunt frequenter in morbos,
quòd minimè fieret, si sobrietati perpe-
tuo studerent. Ad hæc, propter calorum
& iumentorum multitudinem, quæ ci-
baria & impedimenta perferunt, anno-
næ caritatem & inediã excitant, & bel-
li administrationem impediunt, & cum
prælio decertandum est, magnis sunt de-
fendendi præsijs, & non rarò fit, ut e-
quites, quum suarum rerum iacturam
metuunt, ordines deserant, & suis, qui
sunt cum impedimentis, auxilio profi-
ciscantur. Postremò, sumptibus exhau-
sti milites, quando è stipendijs nihil ha-
bent reliquum, prædè student atq; rabi-
nis, & populum quem defendere debe-
bãt, magnis adficiunt incõmodis, ideoq;
uulgo sunt odiosi, & cum bellum inci-
dit, non minus quàm hostes ipsi metu-
untur, & hominibus causam sæpe præ-
bent

bent deserendi sedes, alioq; commigrandi. Huic autem malo facienda est medicina, ut ne uoluntates hominum alienentur, neue alij deterriti nostrum imperium detestentur & exhorrescant, totisq; uiribus huc incumbendum est, ut nostrę lenitatis ac moderationis fama, longę lateq; apud finitimos excitetur. necq; enim dubium est, quin bene constituta republi- ca, pleriq; omnes nostrum imperium quibuscunq; alijs anteponant. Postquam ergo de republica tam domi quam foris administranda, diximus, reliquum est, ut quemadmodũ rex erga uicinos principes atq; populos gerere se debeat, tam pacis, quam belli tempore, exponamus, quo quidem in argumento plus est difficultatis, quam in ceteris. Quomodo enim domi gerenda sint omnia, & quę sint eius rei rationes, non pauci præstantes uiri cognitum habent atque perspectum: sed magnę prudentię est atq; industrię, cognoscere, quomodo sint in amicitia retinendi populi externi, quibus Gallia est undiq; cincta, Itali, Sabaudi, Heluetij, Angli, Belgę Hispani, Germani. Tenere enim rationem atq; modũ gubernandi quos noueris, quicq;

DE REP. GALLIAE

fito sint subiecti imperio, non tam est dif-
 ficile, quam pacem posse colere cum ijs,
 quorum ingenia non satis perspexeris,
 & in quos nullum habeas imperiũ. Atq;
 interim tamen hæc ratio sic est necessa-
 ria, ut ad regni salutem imprimis perti-
 neat. Habet autem difficultatem ma-
 gnã non ad agendũ modo, sed ad co-
 gnoscendum etiam, ut uidelicet rectè ali-
 quis & idoneè præfinire possit atq; do-
 cere, quid in eo maximè cõueniat. Nam
 ad exterorum mores, ingeniũ, negocia,
 et quæ sepe incidit in his omnibus, muta-
 tionem, accommodanda sunt consilia:
 hæc raro fit, ut quibus aliquando sumus
 usi pacatis & amicis, ab iisdem nunc, ut
 ab hostibus, cauere nos oporteat: cõtrã,
 quos olim sumus experti nobis aduersa-
 rios, ut ijs factorem ac beneuolentiam o-
 mnem præstemus. Et quia sit futurũ odi-
 osum, speciatim de his rebus loqui, quæ
 meã sit sententia, in genere proponam.
 Primum igitur est, ut qui principatum
 obtinent, pacem cum uicinis omnibus
 & exteris colant, nisi forte uel natura
 gentis uel religio diuersa repugnet. Sem-
 per enim paci consulendum est, quæ fra-
 tra sit atq; constans, & quæ nihil habitu-
 ra sit

ra sit insidiarum, & in fuscipiendo bello
 nihil tribuendū est ambitioni, nihil glo-
 rię cupiditati, nihil animi perturbationi-
 bus, sed cum nostra uel repetimus, uel
 iniuriam aliquam ulcisci cogitamus,
 ad uim cōfugiendum est, si disceptatio-
 ne uti non licet. item defendendi causa
 uicinos & propinquos et amicos, aduer-
 sus uim & iniuriam, arma etiam capi-
 mus. In primis autem ut à nobis ipsis &
 ab ijs qui nostro subiecti sunt imperio,
 uim propulsemus. Quo in genere quid
 sit obseruandum & agendū prius, quàm
 ad arma ueniatur, in præsentia non di-
 cam, quia non est nostri propositi. Sed
 quoniam homines natura sunt uitiosi, &
 in principibus uiris plerunq; existunt
 honoris, imperij, potentie & glorię cupi-
 ditates, diligenter obseruandum est,
 quid agant aut moliantur uicini, & pro-
 uidēdum, ne facultatem habeant ullam
 nocendi, in eaq; re pro tempore & loco,
 & eius quem metuimus, conditione, agi
 oportet. Nam qui ad faciendā iniuriam
 instructus est, qui uel actionem contra
 nos habet, uel alioqui ueteres nobiscū
 exercet similtates, ab hoc multo dili-
 gentius cauendum est, quàm ab eo, qui

necq; magna potentia præditus est, necq;
 malevolentia causam ullam habet, aut
 ex his altero destituitur. sic etiam, ab eo
 qui uersutus est atq; callidus, & in quo
 cupiditas ambitioq; dominantur, magis
 ut nobis caueamus oportet, quam ab
 eo, in quo nulla est fraudis iniuriaq; su-
 spicio, & qui non est ea uel uirtute uel
 potentia, ut uim ullam nobis inferat. Cū
 illis igitur à quibus iniuria metuitur, ui-
 uendū est amice, pacis tēpore, sic, ut nul-
 lam habeant doloris causam, & agendū
 liberaliter, ut intelligant plurimum ipsis
 tribui & confidi. Quòd si uerò callidè &
 simulatè nobiscum agere, & si facultates
 atq; uires habeant, aut etiam oblata
 occasione, damnum allaturi nobis atq;
 bellum suscepturi uidebuntur, impedi-
 endi sunt quibuscunq; licet honestis ra-
 tionibus, id enim iure tam diuino quam
 humano concessum est. Cuiusmodi au-
 tem sint hæ rationes, breuiter exponam,
 non quidem omnes, uerum eas, quarū
 in hoc tempore meminisse possum, ex
 hisq; reliquas erit non difficile intelligen-
 re. Primum ergo, non est permittendum
 his, quos diximus, uicinis, quantum uis
 etiam uideantur esse amici, ut in Gallis
 aliquid

aliquid faciant aut experiantur, quod
 ipsis occasione deinde præbeat munien-
 di se aduersum nos. Eius generis sunt,
 ne ipsis aut transire cum copijs, aut com-
 morari diutius, aut annonam & arma,
 præter modum exportare liceat, neue
 concedatur, ut nimis magnum habeant
 usum ac familiaritatem, aut sua consilia
 communicent cum nostræ ditionis ho-
 minibus, ijs præsertim, qui fines inco-
 lunt & præfecti sunt oppidorum custo-
 dijs. Alterum est, ut fines bene munian-
 tur, ne qua uis inopinātibus adferatur.
 Nam occasio & facultas perficiendi, sæ-
 pe homines inuitat, eos præsertim, qui
 propter emolumentum non dubitant
 uiolare fidem, & allicit, ut aliquid ten-
 tent & audeant, quod alioqui minimè
 sint facturi, si proposita difficultate, fru-
 strà se conaturos uiderent. Tertium est,
 ut eos, qui fidelem operam nobis præsti-
 terunt, rebus asperis, non deseramus ul-
 lo tempore, tunc inprimis, quando cum
 hoste paciscimur, neq; prædæ aut pericu-
 lo fortunas eorum atq; salutem obijcia-
 mus, uerum iisdem conditionibus com-
 plectamur, quas nobis ipsis pacti su-
 mus. Nam alioquin & facultas illis au-

DE REP. GALLIAE

fertur opitulandi deinceps, ac simul causa praebetur, ut a nobis deserti atque proditi, rationes ineant, quemadmodum reconciliati ad hostem transeant, in eorum quantum sit incommodi, facile quivis intelligit. Nam & inimici confirmantur, & complures alij exemplo perterriti, recedunt ab amicitia, nisi imperio aut necessitate prohibeantur. Haec etiam est causa, quamobrem populi iniurias rex minime negligere debeat, eorum praesertim qui sunt in finibus. hos enim acerrime propugnabit, ut ad virtutem inflammet, & ad omnia sui causa perferenda reddat alacriores. Quartum est, ut ei, quem diximus, vicino suspecto, impedimentum semper aliquod inferatur, ne novis amicitijs atque facultatibus crescat. Cum enim periculum est, ne novis accessionibus amplificatus, nobis noceat, impedire conatus illius licet atque tardare. Et sicut Paulum fecisse constat, excitata simultate atque dissidio inter Iudeos, qui in ipsius perniciem conspirauerant: ad eundem quoque modum licet occulte factiones & diffidentiam & dissidium alere inter eos, qui conciliati & amicitia coniuncti, nobis incommoda=

commodare possent, nec id modo, ue-
 rumetiam in ipso, quem suspectum ha-
 bemus, eiusq; populo idem est facien-
 dum, sic tamen ut nullum turpe uel im-
 mane facinus interueniat. Neq; uerò so-
 lum impediendus est, ut ne potentior e-
 uadat; sed ineundæ sunt etiam rationes,
 ut sum; tibus exhauriatur, & seipsum
 infirmiozem reddat, & ut amicitia; illi o-
 mnes atq; præsidia, quibus ad nostram
 pernitiem uti possit, detrahantur. In-
 primis autem elaborandum est, ut qui
 sunt in eius familia uiri præstantes consi-
 lio et uirtute, ad nostras traducantur par-
 tes. quod quidem nemo facilius quam
 Gallia; rex, efficere potest, propter o-
 mnis generis præfecturas, & munera pu-
 blica, quorum infinitus est numerus, i-
 deoq; fit, ut exteri, posteaquam copias et
 emolumenta Gallia; semel experti sunt,
 inuitissimi redeant ad suos. imò, non se-
 mel compertum est, illos, quum pro uir-
 tute ac merito honestè & liberaliter es-
 sent à nobis habiti, non minorem nobis
 fidem præstitisse, quam nostre originis
 atq; lingua; homines. Beneficijs enim
 nostris et humanitate capti, agros et pos-
 sessiones, quas domi habent, sæpe relin-
 quunt,

quunt, et nobis sese totos tradunt, et per-
 specta eorum uirtute, grauissimas ali-
 quando prefecturas à regibus obtinēt,
 & prouincijs finibusq; tuendis præpo-
 nuntur, & præclare de repub. sæpe me-
 riti sunt: ac docere possim, quibus tem-
 poribus illi, quum suam operam nobis
 detulissent, repudiati, maximis incom-
 modis Galliam adfecerint. Hoc autem
 non eò pertinet, ut existimem ab initio
 statim illis fidendum, aut ullam rem ma-
 ioris momenti commitendam esse: ue-
 rum ut beneuolè recipiantur, & ubi suæ
 uirtutis ac probitatis fidem fecerint, or-
 nentur & augeantur. Hæ ferè sunt rati-
 ones, quibus utendum esse puto pacis
 tempore erga uicinos, quorum de fide
 & amicitia dubitamus, in eoq; sic agen-
 dum est, ut quàm minimum offendan-
 tur. Cum autem ad uim illos & inferen-
 dam iniuriam spectare uidebimus, cum
 sese munient, & quæ necessaria sunt ad
 bellum, præparabunt, primum monen-
 di sunt, ut ab armis abstineant, & æqui-
 tate rem gerant, & adhibendi uiri boni,
 tanquam arbitri, qui controuersiam mi-
 nuant. Qui enim hanc rationem sequi-
 tur, quoniam sibi displicere contentio-
 nem

nem omnem, & pacis cupidum se profi-
 tetur, is & Deum sibi reddit propitium,
 & hominum beneuolentiam conciliat,
 & populum suo subiectū imperio prom-
 ptum efficit et alacrem, et amicos omnes
 habet sui propositi adiutores, & aduers-
 sariorum animos impetumq; refringit.
 Nihilò secius tamen interim sese com-
 munit, ut à rebus omnibus sit paratus,
 & ut non modo bellum illatum defen-
 dat, uerumetiam si sit opus, inferat & ho-
 stem laceffat. Nam ad impetrandam pa-
 cem nihil est utilius, quàm ut ad bellum
 aliquis habeat omnia parata & instru-
 cta, nec ullam significationem metus
 præbeat. Infirmitas enim uirium & ani-
 mi imbecillitas in aliquo deprehensa, ue-
 hementer ad inferendum bellum exci-
 tare solent. Cauendum est ergo regi, ne
 ad hostem timidè se atq; demisse gerat,
 præsertim, si qua sit affectus contumelia,
 neue pacē sollicitet, nisi extrema coactus
 necessitate, eoq; magis cauere debet, cū
 hostis est aut cupidus aut ambitiosus
 aut superbus. Huic enim augetur ani-
 mus illa demissione, & alij cum timore
 rem animaduenterint, relanguescunt, su-
 isq; rebus incipiunt desperare, & duris-
 simis

simis ferè conditionibus paciscendum est, quoties ad hunc modū pax ambiatur ac uelut emendicatur. Eius rei documenta peti possunt ab Atheniensibus, quando Persarum reges bellum ipsis interferebant, et à Romanis, quū grauissimis essent implicati bellis, praesertim aduersus Hannibalem. In summis enim angustijs cōstituti magnā semper animi fortitudinem atq; constantiam praeseferabant, neq; turpem ullam aut indignam pacis conditionem admittebant, quae sanè uirtus animicq; magnitudo regem aut principem uirum non paulò magis quàm ciuitatem aut populum aliquem decet. Praeter id, quod diximus, de muniendis locis, uidendum est etiam, quomodo illi quàm plurimum noceri possit, ante bellum. Nam sicut ignauiae tribuitur, si trepides ac hostem metuas: ita quoque temeritatis est, contemnere illum, & imprudentiae, non prouidere suis rebus in tempore. Valde enim est indecorum, ubi praeter opinionem aliquid accidit, dicere uulgatum illud, Non putaram, praesertim si res fuit eius generis, ut prauideri posset atque caueri. Neq; uerò dubium est, quin consilium idoneè

idonee susceptum, & diu multumq; de-
 liberatum in rebus bellicis, tanti aut eti-
 am maioris sit momenti, quam robur
 ipsum & uis armorū atq; copiarū. Hac
 enim ratione bellum non modo defen-
 di, uerum etiam aliò, ac in ipsum quoq;
 hostem deriuari potest, quod ad regni sa-
 lutem imprimis pertinet. Nimis enim
 multa sunt pericula, quum in nostris fi-
 nibus & agris bellum geritur, quòd si
 uerò bellum ipse inferas, & hostem in-
 uadas, nihil earum rerum tibi sit metuen-
 dum. Animaduertit hoc Scipio Afris-
 canus, qui Carthaginem deleuit, & au-
 thor fuit Romanis, tunc uehementer af-
 flictis ab Hannibale, ut in Africam pro-
 fecti, Carthaginensibus bellum face-
 rent, qua quidem re factum est, ut omni
 depulso ab Italia periculo, Romanum
 imperium, uires ac dignitatem pristi-
 nam recuperaret, illa uero populi Ro-
 mani æmula ciuitas funditus euertere-
 tur. Hoc ipsum deinde Hannibal, An-
 tiocho regi, ad quem profugerat, bel-
 lum gerenti cum Romanis, suasisit, &
 prudenter quidem: sed ille cum non ob-
 temperaret, in maximas incidit calami-
 tates, atqui nihil est opus antiquitate,
 ad ea

ad ea demonstranda, quando nostri temporis exempla satis declarant uerum esse quod dicimus. Putant nonnulli, si bellum sustineatur in finibus regni per annos decem, multo id esse tolerabilius & minus perniciosum reipublicae, quam si foris & apud externos uno tantum anno geratur, idque sic existimant propter pecuniae magnitudinem, quae profunditur & e Gallijs exportatur: sed eorum est iam pridem explosa & repudiata sententia. Sic enim omnes prope statuunt, decem annorum bellum administratum a nobis in Italia, multo minus reipublicae nocere, quam si per unum duntaxat annum in finibus geratur. Non nego equidem, unius arcis aut oppidi possessionem acquisitam in finibus, modo ut fieri possit absque grauiori motu, magis esse commoda & opportunam reipublicae, quam si foris & longe a finibus multa simus adepti. uerum ea de re postea sum dicturus. Qui igitur & auctoritatem ad uicinos retinere, & illis uolet uti pacatis, ordinem rebus omnibus adhibeat, & sit in omnem eventum atque casum, siue repentinum siue deliberatum, instructus atque paratus, & amicitias conseruet, & ratios

nes ineat, quibus aut bellum aliò trans-
ferat, aut is qui uim inferre cogitat, tar-
detur & impediatur. Et quanq̃ Gallia
præ ceteris regionibus facile potest infe-
rentibus bellum resistere, partim pro-
pter omnium ordinum obsequentiam
& affectum ergà regem, partim propter
colligendâ pecuniâ facultatem, partim
etiam propter amplissimum & perpetu-
um equitatum; tamen ex usu & digni-
tate rei pub. sit futurû, si mari quoq̃ plu-
rimum possemus, quando quidem & ad
Oceanum & ad mediterraneum mare
Gallia pertinet. Sic enim fieret, ut non
modo ciuitates ac populi maritimi, ualde
locupletes atq̃ copiosi, regis impe-
rio subiecti, sed uicini quoq̃ omnes,
metu periculi, in fide & amicitia perma-
nerent: mercatores etiam multò liberius
atq̃ tutius cõmearent, & maximas rei
publicæ commoditates adferrent, & or-
to bello, nauigatione hostes facile pos-
sent propter nostræ classis magnitudi-
nem, prohiberi, & omnibus in locis, quò
nostris nauibus pateret aditus, militum
præsidia disponere, & sumptum facere
cogerentur, nostramq̃ oram maritimam
minimè auderent diuexare. Nam

DE REP. GALLIAE

una solum classis bene munita rebus necessarijs, propter commoditatem navigationis usui & auxilio esse potest multis regionibus, longo separatis intervallo, quod terrestris exercitus minimè potest. Etenim nostra aetate quomodo Veneti ac Genuenses creuerint, suosq; fines dilatarint scientia & usu rei maritimæ, nihil attinet commemorare, & historia plarèq; testantur, eos qui mari plurimum possent, celeritate & magnitudine rerum gestarum, præstitisse alijs, qui in continente solum alerent exercitus. Exemplo sunt Athenienses, Carthaginenses, Romani, qui tunc demum, ubi mare sibi patefecissent, uehementer suum auxerunt imperium, longissimeq; sunt progressi, Cn. Pompeius in primis, qui sexaginta dierum spacio, totum illud mare à prædonibus liberauit, & ciuitatibus omnibus atque socijs populi Romani tutam præstitit navigationem, cum ante id tempus, in ipso propè conspectu urbis Romæ, piratæ grassarentur, nec quisquam, nisi illorum beneficio atque permissu, ausus esset mari sese committere. Terra certè nihil eiusmodi fieri potuisset, nisi plurimis exercitijs
bus &

bus & longissimo tempore . quò magis
 uidere licet, quanti sint momenti nauig-
 gationes illę. Nam ij quos diximus, præ-
 dones, etli humilis erant conditionis
 atque fortunę: tamen freti sua scientia,
 non socios tantum populi Romani, sed
 & ipsam urbem Romam, in eas redege-
 rant angustias atq; difficultates, ut nisi
 Pompei uirtus atq; fœlicitas interuenis-
 set, tempestas illa uix ægrè propulsari
 potuisset . Non me quidem laet, ma-
 ximos ad eam rem sumptus requiri, &
 fore, ut populi fiat dispendio, propter
 nouas exactiones: ueruntamen, si quod
 bellum maritimum incidat: necesse erit
 ut ita fiat. hæc enim ætas atq; memoria
 docere nos possunt, quanto sit factum
 reipub. nostrę periculo & incommodo,
 quò idoneam ad resistendum classem
 nullã haberemus. Quòd si belli non sit
 ulla suspitio, fateor aut nullum, aut non
 maiorem sumptum ijs locis faciendum
 esse, quàm populus commodè ferre pos-
 sit. at profectò, quemadmodũ equitatus
 ille perpetuus est non solũ ornamento &
 præsidio toti regno, sed hostibus etiã ter-
 ror: ad eundem quoq; modũ, si classem
 haberemus instructã semper & amplam

DE REP. GALLIAE

pro magnitudine & facultatibus nostris, tutam atq; pacatam undiq; simus habituri Galliam, & ad summam peruenturi potentiam breui tempore. Nam & ad regis facultates maxima fieret accessio, & priuatim ad uniuersum populum ingentes redirent commoditates, mercaturæ studio, quod pleriq; depulso non solum periculo, sed metu etiam periculi, sectarentur. Iam uerò, quoties aliquid de tumultu & incurfione repentina nunciatur ab oris maritimis, magna trepidatione concursatur, & nõ nisi maximo sumptu uix tandẽ resistitur. Hoc autem incommodum, parata classe, facile posset uitari. Aut enim ab iniuria & maleficio abstinere omnes, aut si quid conarentur, minimo negotio possent, antequam nocerent, profligari. quòd si etiam plures coniuratione facta nos lassessent, ex ijs singuli à nobis correpti & exagitati non possint auxilio alij alijs adesse. Quare sic statuo, etsi initio quidam populo uidetur futurus esse grauis hic apparatus: tamen si commoda spectemus & emolumenta, non debere quenquam eius sumptus poenitere. Sed interim hæc esset adhibenda cautio, ut
mariti

maritimæ ciuitates & illi, ad quos maxima pars commoditatum atq; quæstus reditura sit, maiores etiam sumptus partem sustineant, & amplius contribuant, quàm qui mediterranea loca incolunt. sumptus aut pro magnitudine belli & temporum conditione erunt moderandi. Quòd si etiam præter publicam classem, singulæ priuatim ciuitates maritimæ, naues haberent instructas, ualde sit profuturum in commune. patet actis enim omnibus uis, & sublatis periculis, multi exēplo & lucri magnitudine prouocati, naues ad exercendam mercaturam construerent, quarū deinde sit futurus etiā usus ad bellū. Diligenter hoc & studiosè quibusdam à populis fieri uidemus. Et ut ne nimium res differatur, optimum fuerit, si rex cōmunicato consilio cum hominibus earum rerum peritis, rationem ineat quàm primum instituendi operis. Quantum ad me pertinet, neq; ullam in eo scientiam mihi arrogare possum, neq; etiam est instituti mei, ut prolixius de eo loquar, & sunt alij complures, qui rectè in medium consulere possunt. Vnum solummodo dicam, quod & usitatum esse uideo uicis

DE REP. GALLIAE

nis circum populis, & à rege multo potest
 sit commodius, quàm ab illis, fieri. hoc
 autem est eiusmodi, ut rex nullum genus
 annonæ uel mercium exportari nauibus
 permittat. Est enim copiosa et rebus om-
 nibus abundans, Gallia, sic ut alios-
 rum commercijs multò facilius, quàm il-
 li nostris, carere possit. Quod etiam il-
 li nobis denegant, quàm ratione pos-
 stulent hoc sibi à nobis concedi: nisi for-
 te pactiõibus aliter sit constitutũ, quan-
 quam sanè & hoc emendari possit. Gal-
 lia enim multas habet agendi facultates,
 quibus aliæ regiõnes sunt destitutæ, ac
 satis est mihi, uel leuẽ aliquam eius rei
 mentionem intulisse, ut qui sunt peri-
 tiores, occasionem habeant diligentis-
 us de eo cogitandi. Nam si animũ semel
 rex adiciat, multos est habiturus consi-
 lij & instituti sui adiutores. Reliquum
 est, ut exponam, quemadmodum extra
 Galliaẽ fines bello sint acquirendæ pro-
 uinciæ & conseruandæ. quicquid enim
 hætenus dictum est, ad regni solũ admi-
 nistrationem pertinet. Quia uerò tem-
 pus nonnunquam incidit, ut rex aliqua
 graui de causa bellum suscipiat, longè
 à finibus, & quoniam non hoc solum
 tempore

tempore, sed paulò etiam supra hanc memoriam, id genus bella, maximis iacturis facultatum & multorum præstantium uirorum, à nobis ferè administràtur, deinde, quoniam occupatas sæpe regiones, facili momento rursus amissimus, non absq; ludibrio & ignominia: res ipsa postulat, ut demonstretur, quid à nobis peccatum, & quid deinceps cauendū sit atq; agendū, si forte uel amissa recuperare cogitamus, uel etiã noua comparare. Atque ut supra fecimus, generatim de his rebus omnibus loquar, nec ullius honorem aut existimatiõem ledam. Inprimis ergo diu multumq; rex delibere, an graues atq; ueras habeat suscipiendi belli causas, & suorum audiat de eo sententias. Nisi enim legitima subsit causa, non est quòd speremus, Deum iustitiæ uindicem, ad futurum esse nostris conatibus, qui etiam si fortasse fœlicem successum atq; uictoriam concedat, & eos quibus bellum infertur, pro scelere ipsorum uleiscatur, & finibus omnibus atque possessionibus eiq; permittat: tamen illos, qui iniustam uim adferunt, & aliorum facultates occupant, non dimittit impunitos, uel in hac mortali,

DE REP. GALLIÆ

uel in illa sempiterna uita, Postquam
 uero de causa belli constiterit, proximū
 est, ut deliberetur, quomodo sit agendū,
 an aliquid impediāt, an absq; ma-
 gno dispendio fieri possit, an uero plus
 in eo sit metuendum periculi, quā spe-
 randum emolumentū. Maioris enim ali-
 quando detrimenti uitandi causa, ne-
 cesse est tentare fortunam, præsertim, si
 quid istud ad rem cōferre uidebitur. Ve-
 rum ubi nulla cogit necessitas, & quan-
 do uoluntarium est bellū, & solum com-
 modum atq; lucrū est propositum, ni-
 hil temere tentandum est. nisi probabī-
 le sit, perfici posse quod instituimus. nul-
 lum enim bellū geri potest, in quo nō
 sit periclitanda fortuna: cumq; res in
 eum casū incidit, longē præstat differa-
 re, quā festinare nimium atq; celeriter
 procurrere. Cū autem non commo-
 dum, sed honōs agitur & existimatio, cit-
 ius faciēda sit iactura, si nimium res dif-
 feratur: tum certē, quemadmodum reli-
 quas iniurias persequimur & uim a nou-
 bis depellere solemus, minimē cunctan-
 dum est: honoris enim atq; famæ mul-
 tō grauius est, quā opū atq; bono-
 rum, dispendium. Idem faciendum esse
 puto,

puto, cum periculum est, ne mora dilata-
 tioq; belli magno aliquo damno remp.
 adficiat, cum uidelicet metui oportet, ne
 quis alius eam regionem, quam nobis
 adiungere cogitamus, præoccupet, ex
 eaq; plurimum deinde nobis incommo-
 det. Hæc autem omnia consistunt in a-
 ctione, neq; tam doctrina, quam usu &
 experientia opus est, ut scilicet rex co-
 gnoscat, quid a suis, quid ab amicis ex-
 pectare debeat, quo sint ingenio, qui-
 bus facultatibus atq; uiribus hostes eo-
 rumq; socij, item quanti sint faciendi
 sumptus, quomodo corroganda pecus-
 nia, quæ sit eius regionis, quam debel-
 lare instituit, natura, quæ loca, qui ad-
 tus, & id genus alia multa, quæ rei bel-
 licæ periti homines intelligunt. Caueat
 autem, ne temere fidem habeat uel cau-
 sis parum firmis, uel hominibus aliquo
 perturbatis affectu & imperitis; item, ne
 quid suæ priuatim cupiditati atq; desi-
 derio tribuat, sed omnia potius metuat,
 & plena difficultatis atq; periculi sibi sin-
 gat & persuadeat ipse. cumq; ijs rebus
 ad concilium delatis, ex usu reipub. ui-
 sum fuerit, ut ad actionem ueniatur, con-
 siderandum est, an regio, cui bellum fa-

cerè decreuit, defendi possit, item an
 donea sit & opulenta satis, ut se ipsa suis
 uectigalibus atque copijs tueatur. Nam
 si cōstat eam defendi non posse atq; reti
 neri, ualde sit ineptum & inconsultum,
 subire dispendium rei familiaris & tem
 poris et existimationis. Videndū est igitur,
 an impedimentum illud, ante quam
 ad arma descenditur, uel etiam belli tem
 pore possit auferri: quod si tolli non po
 test, desistendum est negotio & cogitan
 dum de alijs, unde plus emolumētū atq;
 gloriæ sperare liceat. sic quoq; faciendū
 est, quum aut belli sumptus, aut ipsa lo
 ci defensio uidebit̄ excedere fructus an
 nuos atq; commoda, quę quocunq; mo
 do percipi possint. Nam et hac de causa
 Romani sepe repudiarunt prouincias,
 quę in fidē ipsorū ultrò sese permitterēt.
 Dixi aut̄ de commodis non simpliciter,
 sed quæ quoquo modo prouenire possint.
 Fieri enim potest, ut sumptus maio
 res sint fructibus, et tamē regionis natu
 ra situsq; tanti sint momenti, uel ad reli
 quam regni partem tuendam, uel com
 meatus aditusq; causa, ut impensæ ratio
 nem habere non oporteat. Deinde, cum
 alicuius regiōis occupatio uel defensio,
 magnis

magnis iacturis constitit, spes autem est, bre-
 ui possi tempore, sumptus posse minui,
 fructus autem amplificari, non est anxie de
 eo, quod impeditur, cogitandum. Huc
 enim si quis respiciat, nihil unquam acqui-
 siturus sit bello, propterea quod initio
 fructus plerumque non respondent sum-
 ptuum magnitudini. Breuiter, etiam si
 quod instituiamus, facile factu uidetur: ta-
 men non presens modo tempus, uerum
 etiam futurum, neque tam quid utile, quam
 quid sit honestum, considerandum est,
 ac omnino faciendum, ut solent illi, qui
 agrum aut praedium sibi comparant, aut
 praefecturam aliquam atque sacerdotium
 ambiunt. Hi enim non solum magnos sus-
 ciipiunt labores, uerum etiam, an quod
 cupiunt, sint impetraturi, & ubi im-
 petrauerint, an sine lite & contouersia
 possint eo frui, in dubio uersantur. Postquam
 ergo re omni disceptata, placuit
 suscipiendum esse bellum, non est ampli-
 us differendum, sed rebus necessarijs pro-
 curatis, ad actionem ilico ueniendum
 est. Nam interiecta mora, spacium et tem-
 pus datur hostibus communiendi se &
 conciliandi amicos, & quod arcanum esse
 oportuit, effertur in uulgus, & relangue-
 scunt

scunt animi, & augetur sumptus, & res
 bene gerendæ occasio amittitur, neq; ra-
 rō fit, ut quod institutum est, prorsus cō-
 cidat. Neq; tamen tumultuosē aut in-
 consideratē agendum est, uerum ubi ad
 quemlibet casum instructa erunt atq; pa-
 rata omnia, tota mente & animo incum-
 bendum est actioni, & utendum homi-
 nibus peritis atq; industrijs, in eosq; di-
 stribuendæ sunt præfecturæ ac reliqua
 munera, sic ut alter alterū non impedi-
 at, & diligendus imperator, eiq; tribuen-
 da potestas & authoritas, ut supra dixi-
 mus. Quod si rex non interest ipse admi-
 nistrationi belli, quosdam ē suis deliget,
 ijsq; negocium dabit, ut postpositis o-
 mnibus occupationibus, in ea solum re
 studium & operam omnē ponant, cun-
 que aut respondendum erit aut agen-
 dum aliquid maioris momenti, coniu-
 get se illis, & rē unā cognoscet, ut prom-
 ptē & idoneē singula gerantur, quod in
 bello maximē requiritur. Ineundæ sunt
 autē quęcunq; rationes, ut hosti quā-
 plurimum noceatur, nec ullum subsidij
 genus reijciendum est, ut te commu-
 nias, illum autem infirmiolem redigas.
 neq; uerō sumptui parcendum est, &
 quō

quò celerius rem conficias, duplicandæ sunt potius impensæ. Nam ut de periculis & uarijs incommodis, quæ solent euenire, cum interponitur mora, nihil dicam, multò sunt etiam faciendi maiores sumptus. Galli autem in primis operam dabunt, ut confestim expediant quod propositum habent. est enim ipsis innata quædam alacritas et ardor, qui paulatim relanguescit & prope extinguitur. Cùm igitur pecunijs & donis & pollicitationibus aut id genus alijs artibus conficere res potest, eo est utendum ad miniculo, nec differendum, donec ui consequaris quod optas. Et quanquam homines earum rerum periti, quid in eo sit agendum, satis intelligunt: tamen quoniam hac memoria sapius in eo grauiterque peccatum est, magno cùm reipublice detrimento, putauit aliquid de eo mihi dicendum esse. Nunc deinceps, quomodo sint tuendæ ac conseruandæ prouinciæ, bello acquisite, explicandum est. Quamuis autem ex usu & tractatione rerum præteritarum, & ex monumentis librorum atque historiarum, quas diximus, facile cognosci potest, quid sequi oporteat: tamen secutus morem meum, quod
 mihi

mihi uidetur ad presentem etatem con-
 gruere, & quid in eo saepe nostri homi-
 nes peccauerint, amissis, quas bello uicif-
 sent, regionibus, breuiter exponam. Ut
 igitur parta conseruemus, duabus in re-
 bus positum est, in armis atq; legibus, Et
 armis quidem opus est initio, neq; disces-
 dendū est ab ijs, etiam si populus magnā
 prestet obsequentiam, eoq; utendum est
 presidio, donec pacata erunt omnia, &
 in enīcasum res deducta uidebitur, nulla
 ut sit deinceps metuenda rebellio. Cōsti-
 tuta deinde republica bonis legibus &
 administratione iuris, dimittendus est
 exercitus, uitandi sumptus & recrean-
 de regionis causa. uerum interim, quo ad
 de populi uoluntate compertū sit, & pa-
 cati omnes circū uicini, presidio sunt
 relinquendæ nonnullę copię, partim, si
 qua noua res oblata sit, ut resisti possit,
 partim, ut prefecti omnes in officio con-
 tineantur. In ipsa uero iurisdictione, ma-
 gna quadam opus est diligentia & seue-
 ritate, quoniā munus hoc est perpetuū,
 ab eoq; reliqui omnes ordines depen-
 dent. Quę uerò supra diximus, de cōser-
 uando regno, deq; disciplina militari,
 huc etiā pertinent, ideoq; non repetam,

sed

sed ut prouinciam nuper adiunctam tuę
 ditioni, tuearis, in eo plus est difficulta-
 tis, quàm ut uetus patrimoniũ ac heredi-
 tatem conserues. Primum igitur cõliden-
 randa sunt omnia pericula & casus, quib-
 us amitti possit, quod nuper acquisi-
 tum est, et prouidendũ in tempore, quos
 modo ijs occurri debeat, et inter alia con-
 siderandum est, an qui suis finibus ex-
 pulsus est, aut ipse adhuc super sit, aut alius
 quem sue stirpis atq; familię superstitem
 reliquerit, qui litem atque turbam exci-
 tare possit: an deuictę regionis popu-
 lus uaiuersus eam familiam amet, an ue-
 rò pars aliqua populi, & quota: deinde,
 an uicini circũ principes atque popu-
 li, sint amici, nec ne, an uero neutri parti
 studeant, an regio sit natura & opere
 munita, an frumentaria & copiosa, cetera
 riq; rebus ad defensionẽ necessarijs, ab-
 bũdans: postremo, an finitima sit & mit-
 tedis auxiis opportuna, an uerò longè
 à tuis finibus remota. His omnibus an-
 tuaduertis, si ad eius tuitionem uideretur
 nihil opus esse magna custodiã, de du-
 cendi sunt milites, & quàm minimũ ibi
 relinqui debet presidiorũ, partim minus
 expensũ sumptus causa, et ne populus nimis

um grauetur, ut antea diximus, partim
 ut ne qua uis atq; turba moueatur. Mi-
 lites enim natura sunt contentiosi, & ui-
 tam hac ratione tolerant, ideoq; perfaci-
 le sit, ut uicinis causam aliquam offensi-
 onis præbeant, unde postea sit oriturum
 graue aliquod bellum. deinde, etiam si li-
 beraliter cum ipsis agatur, uix tamen ab
 iniurijs & maleficio sibi temperant, &
 multa proteruè ac libidinosè faciunt, bre-
 uiter, ità sese comparant, ut nisi summa
 in necessitate, nemo societatem eorum
 expetat. Sin autem aliqua subest causa,
 quam obrem sit opus magno præsidio:
 certus est adhibendus modus atq; cau-
 tio. Nam si frequens est eius regionis
 populus, & exercitatus in armis, aut si
 uicini sunt potentes ac inimico in nos
 animo, collocandi sunt in præsijs ho-
 mines externi. quæ sanè res maximos
 sumptus requirit, ac multas adducit in-
 commnditates. Ex his enim, qui rem fa-
 militarem auxerunt, & militiæ facti sunt
 diuites, cupiunt semper hoc ipsum, qd
 adepti sunt, asportare domum: qui uero
 sunt tenuioris fortunæ, quando legibus
 ac institutis, quod in primis est necesse,
 uiuere ipsos oportet, quia stipendium

non

non satis est ipsis ad uictum, stationem
 ferè deserunt, & si fortè pudore adducti
 manserint, tamen honestè discedendi oc-
 casionem circumspiciunt, & totius regio-
 nis iacturam atq; defectionem leuiter
 ferunt. Populus etiam, cum inuitos illos
 apud se commorari, & molestiæ plus ad-
 ferre quàm emolumenti, animaduertit,
 non solum ab illis liberari cupit, uerum
 etiam aduersarijs operam suam, ut illi
 profligentur, præstat. & quanquam hoc
 ipso maiorem aliquando seruitutem si-
 bi comparant, tamen excæcati odio uix
 tandem agnoscunt. Est igitur summæ
 res difficultatis, eiusmodi prouincias ab
 hostibus defendere, cunctq; præuideri po-
 test ea difficultas, neq; spes apparet ulla
 tuendæ regionis, absq; perpetuo præsi-
 dio, consultius foret non suscipere bel-
 lum, sed pacisci potius cum aduersario,
 uel occupatæ prouinciæ dominum ali-
 quem præficere, qui tibi sit propter acce-
 ptum beneficium deuinctus, quod Alex-
 andrum Magnum, populumq; Roma-
 num multis in locis fecisse cõstat. Quòd
 si uerò patrimonij et regni tui salutis cau-
 sa, necesse est regionem illam habere in
 tua potestate. faciendus est quantum mi-

bet magnus sumptus, & ineundæ ratio-
 nes ut quicquid est impedimenti, quan-
 tum fieri potest, tollatur. Ex ijs autem
 primum est, ut ex militibus pleriq; & po-
 tiores incipiât amare prouinciam. quod
 fiet, si uel possessiones illis dentur, quas
 uendere non liceat, aut uxores. quod
 Gulielmum Normanniæ Ducem, oc-
 cupata Britannia, fecisse legimus, ma-
 gna parte facultatum & agrorum in su-
 os distributa. quo factum est, ut hi ipsi
 magno studio & alacritate regionem il-
 lam tuerentur. Idem à Romanis atque
 Græcis factum esse constat, qui deuictis
 prouincijs, in ea ferè parte, quæ omni-
 um maximè uidebatur opportuna et fru-
 ctuosa, exædificabant urbes, eòq; trans-
 ferebant suæ gentis atq; originis homi-
 nes, eisq; domos & agros attribuebant,
 quos colerent. Hi consuetudine ipsa &
 conuictu morem eius regionis omnem
 condiscabant, & benigne sese ergà uici-
 nos gerebant, sic interim animo parati,
 ut quæcuncq; fortuna incideret, eorum
 à quibus erant missi, dignitatem atque
 salutem defenderent. Idem erat studi-
 um atq; uoluntas aliorum, qui cohabi-
 tandi causa sese ipsis adiunxissent, pro-
 pterea

pterea quòd eodem iure, iisdem uteban-
 tur legibus, & eundem sese populum esse
 se cum illis iudicabant. Alij quidam,
 cum de populi nuper deuicti uoluntate
 ergà se desperarent, migrare illos atque
 sedes aliò transferre cogebant, & aut iug
 linguæ & ditionis homines, aut etiã
 exteros aliunde ascitos ibi collocabant,
 quod & Alexander magnus, ac ipsius
 deinde successores multis in locis fece-
 runt, sed non modo inhumanum est istud,
 uerum factu quoq; difficile: alterum
 autem multò est commodius. Quia
 uerò parum sit futurũ in eis præsidij, ad
 sustinendam uim ullam maiorem, præ-
 mijs ac pollicitationibus inuitandi sunt
 ad uirtutem atq; constantiam: interim ta-
 men in eos, qui uel non impetrata dimis-
 sione discedunt, uel alios ad disceden-
 dum sollicitant, grauius est animaduer-
 tendum. Et hæc quidem de militibus,
 qui præsidio relinquuntur. Ad incol-
 las uerò quantum pertinet, ijs persuaden-
 dum est, ut impositum onus æquè
 ferant, et desiderium suum leniant emo-
 lumentis: ad ipsorum pertinere salutem
 ea militum præsidia, ne uidelicet ab ini-
 micis diripiantur: ubi fidem suam atq;

beneuolentiam semel approbarint, fore
 ut liberentur. Ipsius autem praefecti siue
 legati comitas & mansuetudo plurimū
 eo conferet, si & amorem illis praestet, &
 ipsorum iniurias minimè se neglectu-
 rum esse demonstrat, neque passurum, ut
 aut ipsis aut ipsorum liberis & uxori-
 bus & facultatibus ulla uis inferatur.
 Quòd si rex etiam ipse per aliquod tem-
 pus ijs in locis moraretur, suamque bene-
 uolentiam hominibus declararet atque
 testatam faceret, non dubium est, quin
 uehementer commoueret, ad sui que amo-
 rem inflammaret. Apud ueteres mos
 erat, ut ijs populis, quos bello uicissent,
 obsides imperarent, pro cuiusque ciuitatis
 magnitudine, quò reliquos in fide et ami-
 citia continerent. Hac etiam ratione nos
 bis uti, & honestam aliquam causam in-
 uenire liceat, cur ita fiat, linguae scilicet
 perdiscendae causa, uel simile aliquid.
 Atque his remedijs utendum est, cum illi
 aut rebellaturi uidentur, aut bello sunt
 inutiles. uerum si spes ulla sit, perman-
 ros in fide, stipendijs excitandi sunt, meo
 quidem iudicio, & attribuendi reliquis
 copijs, ut nostrum militiae genus condi-
 scant, nostrisque moribus paulatim assue-
 scant,

scant, & gentem nostram adamare incipiant. qui sunt etiam ex ipsis primi ordinis & maioris dignitatis, amplificandi sunt prefecturis. Nec enim in solum, qui vobis datur stipendium, sed ipsorum quoque necessarii & amici, hac ratione conciliantur, & alij in spem veniunt eadem consequendi, & quia fidem sibi haberi intelligunt, ualde adficiuntur. huc accedit, quod minori & stipendio & detrimento aliorum, uitam tolerare possunt, quam exteri. atque ut initio non sint nostris uirtute & exercitatione conferendi, paulatim tamen maiorem usum armorum sibi comparant. nobiles praesertim, & quicumque sunt honestiori loco nati. Hanc rationem secuti sunt Romani, Graeci, & quicumque alij rebus gestis claruerunt. Neque enim uideo, quemadmodum provincia ulla, ubi praesidijs opus est, diu conseruari possit, nisi incolas etiam traducamus ad nostras partes, eorumque utamur opera. Vidit hoc Turcarum Caesar. eius, qui nunc praest, auus, ideoque de uicta Graecia multisque alijs locis captis, cum animaduerteteret non se posse illa tueri suis copijs, nostrae religionis hominum liberos delegit in ijs ipsis,

DE REP. GALLIAE

quas expugnauerat, prouincijs, eiq; ad
 suam militiam assuefactis, utebatur. Hi
 sunt, quos uulgò Ianizaros appellant.
 sed crudele est hoc institutum & imma-
 ne, & futurum aliquando perniciosum
 atq; exitiale Turcico imperio. Ianizari
 enim milites, pertæsi tandem domina-
 tum illum tyrannicum & inhumanum,
 excitata rebellione, summam imperij in-
 ter se partientur olim, idq; eò magis,
 quòd nullas habent possessiones, & sti-
 pendijs tantummodo uitam tolerant.
 Illa igitur, quam suprà dixi, ratio, mul-
 tò est & humanior & ad diuturnitatem
 utilior. Alterum est, ut quæ loca uide-
 buntur posse defendi, præsertim quæ po-
 sita sunt in finibus, muniantur rebus o-
 mnibus necessarijs, ut uel totum annum
 obsidionem sustinere possint, in eoq;
 magna est adhibenda diligentia, & si
 quid negligenter administratum erit, in
 eum, cuius culpa factum est, seuerè uin-
 dicandum. Eiusmodi locis præficiendi
 sunt egregij duces & imponendi mili-
 tes, quantum satis uidebitur, exercita-
 ti quidem illi, & ad omnia ferenda pa-
 rati, qui deditiōem minimè faciant,
 quandiu subsidij spes ulla erit reliqua
 & qui

& qui conditionem nullam ab hoste re-
 cipiant, nisi extrema inopia & neces-
 sitate adducti. Quapropter externo mi-
 lite utendum est, qui nullas habeant ijs
 locis facultates aut agros. hi enim frau-
 di atque corruptelæ minus sunt exposi-
 ti. Ipsum uerò ducem oportet magna
 præditum esse uirtute, quem milites ob-
 seruent & reuerentur, quem peritiæ rei
 militaris nihil lateat. Sunt enim qui ex-
 cellant, quum prælio dimicandum est,
 qui tamen ad tolerandum obsidionem
 & procurandum ea quæ sunt in angu-
 stijs necessaria, minimè sint idonei. Sed
 præter eam, de qua sæpe iam diximus,
 experientiam, requiritur etiam in duce
 prudentia, ut ijs, quæ ad quancq; occasi-
 onem incidere solent, mederi possit, ut
 militibus animum addat, eosq; ab om-
 ni factione atq; turba prohibeat, ut ans-
 nonam atq; cibaria rectè et idoneè distri-
 buat, & id genus alia procuret. Liberali-
 ter autem habendi sunt duces, ne uel ino-
 pia coacti, uel per iracundiam, turpiter
 aliquid faciant, & providendum est,
 ne sint cupidi & auari. nam id genus
 homines, etiam ut fortasse non turpem
 aliquam deditiõnem faciant, pecunijs

Corrupti, quod imprimis est metuende
 dum: tamen quia sunt ad rem familia-
 rem intenti, sumptus necessarios sæpe
 prætermittunt, & minus accepti sunt mi-
 litibus, & amplificandi sui causa: foris et
 ad hostem multa faciunt, quæ periculo
 non carent. Nihil igitur his, præter loci
 defensionem, committi oportet, neque
 concedendum est, ut in ciuili admini-
 stratione aliquid sibi sumant, imò con-
 sultissimum erit, ut & ipsi & milites, nisi
 graui de causa, non prodeant longius,
 et minimè sint familiares oppidanis, nec
 in suas munitiones quenquam admitta-
 tant, nisi quantū opus erit ad usum quo-
 tidianum. Congressus enim illi & col-
 loquia magnis sæpe incommodis occa-
 sionem præbent. Et hæc quidem hæc-
 tenus dicta sint, quomodo ui & armis
 conseruanda sint quæ bello cepimus:
 nunc autem de legibus atque iure quæ-
 dam nobis dicenda restant. Hæc enim
 disciplina in eiusmodi prouincijs, mul-
 to magis, quam in prisca atq; auitis pos-
 sionibus est necessaria, tametsi diuer-
 sum ferè fieri uidemus. Et quanquam
 ex his, quæ supra commemorauimus, sa-
 tis intelligi potest, quomodo sit admini-
 stranda

strāda iuris dictio, quomodo assuefaci-
 endi ad disciplinam milites, quomodo
 de com meatu cæterisq; rebus prouiden-
 dum, & exercenda mercatura, & minu-
 endæ controuersia: tamen speciatiim &
 distinctè quædam mihi sunt explicanda.
 Generale præceptum est, quòdç latissi-
 mē patet, ut multitudinis & populi com-
 moditatibus inseruiatur, quantum qui-
 dem absq; regis & occupatæ prouincię
 detrimento fieri possit. Primò igitur,
 cum ius redditur, nihil est tribuendum
 personis, sed æquabiliter omnibus illud
 est communicandū, ad eamq; rem con-
 stituendi sunt homines idonei. Hoc e-
 nim & ad placandum Deum, & ad con-
 ciliandam multitudinis beneuolentiam
 pertinet, eorum etiam, qui priuatim sibi
 aliquid tribui, & ab æquitate deflecti uo-
 lunt. Nam hi cum non impetrant, quod
 cupiebant, errorem suum agnoscunt, &
 iudicem propter integritatem magna
 faciunt. Alterum est, ut in ijs rebus, quæ
 nihil aut parum ad principem spectant,
 populo cōcedatur uiuere suo more, præ-
 fertim initio, neq; cogantur assuetum
 uitæ genus mutare, imò consultum erit,
 ut exteri, qui cum ipsis uiuunt, eorum

sese moribus uitæq; modo accommodo-
 dent, quantum possint, nisi forte illi sua
 sponte nostris institutis sese tradant.
 Hanc rationem secutus Alexander ma-
 gnus, summopere sibi conciliauit atque
 deuinxit animos eorū, quos bello uicis-
 set. Cum enim ipsorum ingenijs atq; na-
 turæ conuenienter sese gereret, hoc effe-
 cit, ut illi quàm plurimum sibi ab eo tri-
 bui, & magnopere se diligi iudicarent.
 Veruntamen si temporis conditio feret,
 sensim reuocandi sunt comitate qua-
 dam ad nostrum uiuendi morem, ut sue
 consuetudinis oblitī, æquabiliter nobis-
 cum uiuant. quod Romanos fecisse con-
 stat. Quòd si regi ipsi non sit integrum
 diutius apud eos cōmorari, præ se feret
 tamen situm atq; naturam regionis ualde
 sibi placere, & quandiu per occupa-
 tiones atque negocia sibi liceat, libenter
 ibi permansurum esse, & pro ipsorum sa-
 lute, nulli se labori, nullis impensis at-
 que periculis uelle parcere. sed inte-
 rim ijs locis aliquem præficiet, cui pro-
 pter uirtutem plurimum posse tribui
 confidit. Hic autem prouincię præfe-
 ctus, ut sit liberalis & sumptum faciat,
 utq; sibi familiares habeat lectissimos ui-

ros, oportet, qui tam pacis quam belli rationes intelligant, & consilio iuuare possint. Huic etiam ut ampla tribuatur authoritas à rege, necesse est, ut obsequentem & officiosum habeat populū, et in rebus non magnis indulgere possit atque condonare ijs qui deliquerint, cum enim eiusmodi est facinus, quod ad rempub. pertinet, regis arbitrio reservandū est ut suprā quoq; diximus, Constituendi sunt autem uiri prudentes atque boni, legumq; periti & consuetudinis patriæ, qui ius dicant. Et quoniam exteri non tam facilè regionis morem & instituta percipiunt, res ipsa postulat, ut ex incolis eligantur, qui probitatis atq; doctrinæ laudem in primis habent. His omnibus præficiendus est aliquis externus, qui sit magnæ uirtutis, qui reliquos in officio contineat, nec uilius hominis causa uel periculi metu, ab æquitate deflectat. Hunc & rex ipse et regionis præfectus fauore & ope subleuabunt, nec ullo modo iurisdictionem impedient, & cū opus erit, authoritatem quoq; suam interponent. Hac enim ratione conciliatur hominum uoluntas: quòd si uerò negligenter atque remisse agitur,

aut

DE REP. GALLIÆ

aut si iudices præfecti quæ suis priuatim commodis, plus quam reipub. student, magnus oritur populi non fremitus modo, sed & contemptus. Tertium est, ut rex cæteri quæ præfecti, honore & omni humanitatis genere adficient eius regionis incolas, eos præsertim, in quibus aliquid est dignitatis atque consilij, & quorum operam sperant utilem ipsis fore. In hos aut in ipsorum liberos, propinquos & amicos distribuendæ sunt præterquam tam Ecclesiasticæ, quam ciuiles præfecturæ, ad quas idoneus quisque uidebitur. Quæ uero sunt maioris momenti, quæque ad reipub. salutem ac dignitatem inprimis pertinent, eas non nisi probatissimis uiris, qui populo sint accepti, tribui oportet. Si qui sunt etiam præstantes in ea prouincia, ac bene de reipub. meriti, homines idonei ac populares, ijs rectè committentur maiora quædam munera, uel etiam summa rei, quandiu ipsorum opere atque fidei nos non poenitebit. Natura enim sic comparatū est, ut ei, qui sit eiusdem originis atque linguæ, qui eisdem assueuerit legibus atque institutis, multo libentius omnes, quam externis, obtemperent. uerum incidit aliquando tem-
pus,

pus, ut secus faciendum sit. Sunt enim
 quibusdam in populis factiones, eorū
 fit, ut utriūq; malint externi alicuius do-
 minatum ferre, quā alterius partis le-
 gitimo subesse imperio. Cum igitur in
 eum casum res deuenit, præficiendus est
 aliquis externus, ijs, quas antea comme-
 morauī, præditus uirtutibus, aut ad eas
 quā proximè accedens. deinde, ope-
 ram rex dabit, ut offensionem omnem
 tollat, & utranq; factionem sibi concilia-
 et, si quidem fieri potest. sin autem, pro-
 uidebit, ne illorum odia prorumpāt, ne-
 ue reipub. noceant. Neutris uerò sese da-
 bit, sed in quibus maiorem fidem atque
 uirtutem perspexerit, eos magni faciet,
 & hoc quidem, cum ab utrisq; amari se
 intellexerit. Verum si certis indicijs co-
 gnoscat, non esse ipsorum eandem erga
 se uoluntatem, tum eos, qui animo sunt
 beneuolo, modis omnibus amplifica-
 bit, sic tamen ut ne cui faciat iniuriam.
 Amplificandi autem & ornandi hæ sunt
 rationes, ut præfecturas & honores &
 emolumenta in ipsos conferat, & agris
 atq; possessionibus augeat, pro cuiusq;
 merito, & quanti ipsos præ cæteris faciat,
 at, non obscure declaret. Qua tamen in re
 hæc

DE REP. GALLIAE

hæc est adhibenda moderatio, ut nihil affectui uel studio priuato, sed meritis atque officijs omnia tribuere uideatur. nam si qui sunt alterius factionis non mali, ijs consimilem quoq; beneuolentiam præstabit, ut reliquos ad se pelliciat. In cæteris autem rebus omnibus parui momenti, præsertim, in iuris administratione, seruabit æquabilitatem. quibus autem in rebus plurimum est honoris atq; commodi, in ijs præferet quos maximè sibi fideles arbitrat. Eam enim factionem, cuius explorata sit fides, & à qua certum subsidium expectatur, in amicitia continere, alteram uerò quæ sit inimica, humilem atque infirmam redigere, ne possit nocere, multò præstat, quàm illam deserere, debilemq; effugere, hanc uerò, quam adiungere tibi non possis, quæq; alieno sit animo, pati superiorem existere. Nam si utriq; causam habeant offensionis, futurum sit aliquando, ut reconciliati coniuratione aliquam faciant. Opus igitur hic est non mediocri dexteritate, & quod supra quoq; diximus, neutris adhaerendū est, nisi quantum reipub. salus requirit. Considerandum est etiam, an quæ nobis aduersa

aduersatur factio, plus quàm altera possit, an uerò minus. Nam si est infirmior, aut ijs, quas exposui, rationibus, ad officium & æquitatem facillè adducetur, aut si recuset, non magnam nocendi facultatem habebit. Verum si opibus & potentia superat, neque benignitate adiungi potest, tum certè altera factio sic est cohonestanda beneficijs, ut & hi, cur in officio permaneant, & illi, cur ad tuas accedant partes, causam habeant, atq; interim tamen ità sunt arctandi, licet dissimulanter, ut minimum nocere possint, & obseruandi studiosè, quid agant, quid moliantur, quibuscum sua consilia communicent, præsertim quando tempus metu atque suspitione non carebit: ac si quid animaduersione dignū admiserint, seuerè sunt uindicandi. Quod si etiam probari factum non satis idoneè possit, interim tamen graues intercedant suspitiones, licet illos uel relegare aliquò, uel iubere satisfacere atque cauere, datis fideiussoribus, & occupatis ipsorum, si quas habent munitionibus: uerum ità, ne quo adficiantur damno, si nihil in eis residebit culpe. Atq; hæc ferè sunt, quæ in administratione

DE REP. GALLIAE

tione reipub. nostræ consideranda mihi
uidentur. quæ quidem præcepta si rex
imitabitur atq; sequetur, non dubium
est, quin suorum maiorum gloriam sit
obscuraturus, ac sperare licet, eò rem de-
duci posse, ut quas prouincias no-
bis eripuerunt religionis ho-
stes, hæ beneficio Dei
recuperentur.



71
MAGNIFICO ET

SPECTABILI VIRO, D. GVIL-
helmo Pageto, Serenissimi regis An-
gliaë, consiliario, Equiti, & prima-
rio regiaë domus œconomus,
Ioannes Sleidanus,
S. D.



QVANTA SIT VIS
ingenij, & lumen illud
nature, diuinitus accen-
sum in animis hominũ,
& quousque ratio pro-
gredi possit, uir amplissime, manifestũ
nobis fecit Deus, cum in alijs nonnullis,
tum in Platone potissimũ, qui Dei qui-
dem cognitionem non habuit, quæ nobis
ministerio spiritus atq; uerbi est de-
monstrata, sed tamen doctrina & ratio-
cinatione ad summum fastigium & ad
metam peruénit, quam humana mens
nulla possit excedere. Quis enim ante
ipsum, aut sensit præclarius, aut plura
scriptis prodidit de illo rerum omnium
fabricatore Deo, & animæ immortalita-
te? quis autem sanctiora dedit institu-
endæ uitæ præcepta, cum priuatim tum

P R A E F A T I O.

publicè, si pauca quaedam mutantur? quis de supplicijs malorum & præmijs bonorum, post hoc uitæ curriculum, maiori grauitate scripsit: planè relucet ingenium ex oratione, ac uideatur magno quodam affectu et desiderio, beatiorē sedem, ab hac erumnosa uita, expectasse. Quod cum ita sit, nos certè maximas immortalī Deo gratias agere debemus, qui, disiectis tenebris & dissipata caligine, quæ præstantissimorum hominum mentes obtexerat, Solem ipsum ut intueamur, nobis est largitus: ita quidem, ut licet Platonis et aliorum acumen, uideatur admirandum: tamen, quantum ipsis ad ueram atq; perfectam cognitionem defuerit, facile perspicere possimus. Magnus est campus, & multa hic copiosè dici possent de nostra fœlicitate, quibus tantū beneficiū Deus impertiuit: sed habenda est mihi ratio tui, ad quē ista scribo, qui multò rectius hæc atq; plenius, quàm ego, cognoscis. Iam uerò, quantū Christi philosophia nobis ad omnem uitæ rationem præluere debet, tamen quæ sunt etiam apud Ethnicos, morum atq; civilis uitæ præcepta, minimè sunt aspernanda, cuiusmodi sunt Platonis, de republica

republica & legibus, libri, quos in opusculum istud contraxi, & quæ potissima sunt in ijs, ac rebus gerendis accommodata dogmata, breuiter annotaui. Tibi autem Magnifice Domine, dicendam esse hanc qualemcumq; operam putavi, tanquam munus quoddam ordini ac conditioni tuæ aptissimū. Propter eruditionem enim ac singularē uirtutem, Henricus Angliæ rex, octauus, optimum de te iudicium fecit, & quandiu uixit, inter paucos ualde habuit familiarem: moriturus etiam, ut insignem locum apud filium regem obtineres, reiç publicæ partem non minimam administrares, diligenter cauit. Ut igitur scriptum hoc boni consulas, tibiç proprium esse putas, ac uelut testimonium quoddam accipias meæ erga te obseruantia, quam humanitati beneuolentiæç tuæ debeo,

beo, magnopere oro. Vale. Ar-

gentorati, mense Iunio,

Anno domini

M. D. XLVIII.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 20 horizontal lines.

Faint text, possibly a signature or a date, located at the bottom of the page.

79

SVMMA DOCTRINÆ
Platonis de Republica
& legibus.



LIBRO PRIMO SOcrates cum alijs nonnullis amicè ac familiariter cōfabulatur de senectute, & per occasionem sermonis incidit quæstio, quidnã sit illud, quod Iustum appellatur: pleriq; sic definiebant, ut dicerent Iustitiam esse uirtutem quæ suũ cuiq; reddat. Eam definitionẽ impugnat Socrates, et ait ad iustitiam pertinere, depositũ reddere: sed tamen furioso minimè reddendum esse quod deposuit. non esse igitur idoneam satis atque firmam hanc definitionem. Erat qui diceret, Iusticiam esse, quæ bene faceret amicis, male autem inimicis. Hoc ipsũ quoq; Socrates refellit, & more suo per minutas interrogatiunculas colligit atque demonstrat, esse præter officium uiri iusti, nocere cuiquam. Tertia fuit sententia Thrasymachi, Iustum esse nihil aliud, quàm quod homini præpotenti, & qui magis

SVMMA PLATONIS

stratum obtineat, sit utile. Socrates autem hoc euertit, ac multis in medium adductis argumentis ostendit, uirum bonum, qui sit cum magistratu, non suam priuatam, sed communem eorum, quibus praesit, utilitatem spectare. Cuius Thrasy-machus incaluisse, ac suae opinionis confirmandae causa diceret, Iniustitiam esse firmiorem iustitia, & hominem iniustum ex rebus omnibus percipere plus emolumentum quam iustum: Socrates ne hoc quidem concedit, & exponit quemadmodum qui iniuste agunt, consistere non possint, ac necessario tandem corruant. Confutata Thrasy-machi sententia, Glauco & Adimantus fratres multa differunt pro iniustitia, et ille quidem ait omnes homines natura eò propendere, ut iniuste agant: et per occasionem recitat fabulam de Gyge pastore Lydio, cuius & Cicero meminit in libris officiorum. Adimantus uero iustitiam ab omnibus laudari dicit propter honores atque praemia, quae tamen uberius multo consequatur is, qui iustitiae solum opinionem habeat, re autem ipsa sit uersutus atque callidus. Haec autem ideo disputantur ab eis, ut Socratem ad amplio-rem iustitiam

sticiæ defensionem excitent. quod ille
 quidem diligēter facit, ac tandem osten-
 dit, quomodo constitutatur ciuitas, &
 quā uarijs in ea sit opus artificibus,
 quorum alij sint necessarij, alij uerò ad
 uoluptatem comparati, crescente ciui-
 um luxu atq; mollitiē. qua quidem ex
 re dicit oriri bella, quando scilicet aucta
 multitudine fines nostros dilatare uolu-
 mus, ut ne quid ad omnem luxuriam no-
 bis desit, facta deinde quadam digressi-
 one, explicat quomodo sint instituendi,
 qui rempub. aliquādo procurabunt, in
 Gymnastica nimirum & Musica. Li-
 bro tertio utrunq; declarat, & adolescen-
 tum institutionem eò referendam esse
 dicit, ut de Deo bene sentiant, eumq; bo-
 norum, non etiā malorum authorem
 esse putent. Ex Poētis igitur alijscq; fabu-
 lis ea solum esse proponenda iuuentuti,
 quæ ipsos reddant audaces, & ad sube-
 undū uitę discrimē intrepidus, quo qui-
 dem in loco multa recitat ex Homero, a-
 lijsq; poētis, à quorum lectione uult ab-
 stineri adolescentes, ne teneris annis
 ullam deprauatam sententiam imbi-
 bant. Musicam dicit conferre animis ad
 uirtutem formādis, Gymnasticen uerò

S V M M A P L A T O N I S

cōporis ualetudini, quam ut consequamur, ad continentiam atq; sobrietatem hortatur. Nostris enim moribus atq; luxu fieri, quò animaduersoribus & Medicis carere non possumus, & signum esse male constitutæ reipublicæ, quæ tam multis opus habeat curatoribus. Virumque uero studiij genus pariter exercendū esse præcipit. nam eos qui Gymnasticæ tantum studeant, euadere ferociōres ac induere mores agrestes: qui uerò solam sectentur Musicen, remollescere ac quodammodo effœminari. Iucundo deinde figmento demonstrat, alios esse natos ad imperandum, alios ad auxiliandum, alios ad agriculturam & artificia, eosq; omnēs distinguit per aurum, argentum, æs atq; ferrum, & non raro fieri dicit, ut ex aureo patre nascatur ferreus, & nonnunquam e ferreo procreetur aureus. Diligentem itaq; curam in eo adhibendam, & accommodandos esse liberos quam ad rem maximè uidetur esse à Deo & à natura formati. Prefectos etiã reipublicę iubet ex ærario cōmunitolera re uitam, nihilq; possidere proprium, ut ne, dum rei familiaris amplificationi studet, ciuitatis negligant salutē. Eo qui sequitur

sequitur libro respōdet, A dimanto, qui
hæc impugnaverat, & ostendit medio-
crem fortunam omnium esse optimam,
& inopiam non minus quàm copiam
atq; opulentiam habere sua incommo-
da: ex illa enim nasci maleficium & illis
beralitatem, ex hac autem delitias & de-
sidiam & seditiones & rerum nouanda-
rum studium. In primis uerò curan-
dum esse dicit, ne ciuium mores depra-
uentur: eius autem rei summum ac præ-
cipuum momentum esse positum in e-
ducatione. Postea descendit ad definitio-
nem Iustitiæ, prudentiæ, fortitudinis
ac temperantiæ, & collatione facta, quis
prudens, iustus, fortis atq; temperans ha-
beri debeat, item, quæ ciuitas ab his uir-
tutibus laudanda sit, demonstrat. Pos-
tremo, fundamentum reipub. dicit esse,
ut quisq; naturã sequatur ducẽ, & quam
ad rem natus esse uidetur, in ea pluri-
mum ut elaboret, neq; naturę repugnet.
Post hæc admonitus à Glaucone, quod
superiori libro dixerat de communione
rerum, explicat, & ait fœminas, etsi natu-
ra sicut imbecilliores, tamen esse non in-
eptas ad ea discenda & peragenda, quæ
uiri discunt & faciunt, ad Musicam uis-

S V M M A P L A T O N I S

delicet, ad Gymnasticen, ad rem militarem. Et quò ciuitati semper suppetant uiri ac mulieres egregij, censet ex omni numero deligendos esse optimos iuuenes ac speciosissimas foeminas, qui liberis dent operam: sed eam commixtionē debere per magistratum iudici, ac subtili quadam ratione per sortes ita disponi, ut robustissimi cum optimis, deteriores uerò cum sui similibus conueniant: sortibus autem utendum esse, uitandæ causa offensionis. Masculos iubet liberorum procreationi studere ab anno tricesimo usq; ad quinquagesimum quintū, puellas aut ab anno uicesimo usq; ad quadragesimum, simul modestiæ ac uerecundiæ maximam esse rationē habendam dicit, et qui cum quibus rem habere possint, exponit. Liberos autem ad hunc modum procreatos, publicò sumptu nutriendos esse in ciuitatis parte separata: qui uerò nati sint ex deterioribus, nō esse unā cum reliquis educandos, & cuiq; suum uult ignotum esse parentem, & matribus quoq; filios, promiscuè autem ab omnibus usurpari nomen patris, matris, filij atque filia, pro ætatis cuiusq; ratione. Sic enim fore, ut maximus

mus oriatur amor atq; consensus inter
 ciues, quando quidem quod unī alicuī
 accidit, omnes ad se pertinere putabunt,
 sicut in corpore humano si qđ membrū
 male sit affectū, cetera dolorem hunc ad
 se propriē pertinere putant, operamq;
 dant ut illi subueniant. Ciuitatem uerō
 rō melius cōstitui non posse, quā ut ta-
 lis perpetuō sit inter ciues consensus.
 Utendum etiam īp̄s̄is inter se familiari-
 bus et amicis appellationibus, et qui reip̄
 publicæ præfunt, non principes, uerum
 auxiliares ac seruatores à ciuibus no-
 minandos esse, ciues autem ab illis, præ-
 bitores atque nutritios. Vult enim
 quod & suprā dictū est, reip̄. præfectos
 nihil habere propriū, sed alī ex publi-
 co, ne cupiditate & auaritia adducti, ci-
 uitatem perturbent & exhauriant. Mul-
 tas præterea refert commoditates, quæ
 ex ista rerum communionē proueniunt,
 in primis autem, quod controuersia, cui-
 iūsmodi solent oriri plurimæ de agris,
 possessionibus, liberis, propinquis, nul-
 læ prorsus existunt, nec etiam uis ulla,
 quando pudor et metus in officio singu-
 los continent. Monet etiam, ut uiri unā
 secū ad bellū educant mulieres acq; ado-
 lescentes

SVMMA PLATONIS

lescentes, quò sint spectatores ipsorum
 virtutis, & à puerilibus annis ad militiæ
 laborem sese durent. Post hæc addit quæ-
 dam præcepta, ad rem militarem atq; di-
 sciplinam pertinentia, de non deserendo
 ordine, de non abiiciendis armis, de
 fortiter pugnando, neq; dedendo se ho-
 sti uiuum, de cohonestandis ijs, qui for-
 titer in hostem pugnando ceciderunt.
 Sed belli genus distinguit. Aliter enim
 esse dimicandum aduersus externos, ali-
 ter aduersus Græcos: & adeo quidem
 clemens uult esse Græcorū inter ipsos
 bellum, ut ne bellum, quidem appellari
 debeat, sed seditio, atq; ita gerendum
 ipsis esse bellum quasi non multò post
 futuri sint amici. Græcos enim omneis
 necessitudine quadam contineri & in-
 ter se deuinctos esse: uerum externos at-
 que barbaros natura esse hostes. Itaq;
 nato dissidio, uel ea, quam diximus, se-
 ditione, abstinendum esse à depopula-
 tionibus agrorū, ab incendijs & alijs id
 genus immanibus factis. Interpellatus
 deinde socrates, difficillimū esse, talem
 cōstituere rempublicā, respōdet, ut maxi-
 mē fieri non possit, tamen præclaram for-
 re ciuitatem quæ ad eam formam, quam
 ipse det

ipse describat, proximè accesserit, nec ul-
 li reip. bene sperandum esse, quam non
 regant philosophi, simul, qui sit philoso-
 phus, definit, & ait eum esse ueritatis
 cupidum, & amare scientiam, qua notis-
 or ei fiat ea natura, quæ semper est, atq;
 permanet, neq; generatione uel corru-
 ptione mutatur. Libro sexto philo-
 sopher naturam prolixè describit, qui cor-
 poris oblectamenta contemnat, animi
 tantum uoluptates quærat, qui sit tem-
 perans et moderatus in rebus omnibus,
 ac minimè auarus, deniq; qui ueritatis
 diligentissimus sit inuestigator. Huic er-
 go reip. posse rectissimè cõmitti. Sed
 Adimantus obijcit, philosophiæ dedi-
 tos consensescere in eo studio & inutiles
 uadere ad reip. gubernandam. Ei re-
 spondet Socrates, & fatetur uerum qui-
 dem esse, ipsos autem Philosophos non
 esse reprehendendos, sed illos potius,
 qui philosophis non utantur. Minimè
 enim illos esse gloriæ cupidos, nec face-
 re aliquid ad ostentationem, ideoq; la-
 tere ac prope contemni. Cur etiam in
 philosophiæ studio nonnulli nequio-
 res euadant, ostendit, & uitiosam edu-
 cationem in causa esse dicit, ubi simul &
 statum

S Y M M A P L A T O N I S

statum sui temporis et mores corruptissimi
 mos perstringit, & nisi diuino quis be-
 neficio conseruetur, uix posse fieri, ut in
 ijs moribus & temporum cōfusione lau-
 dem probitatis retineat. Opes etiam &
 ea quę uulgò bona putant, impedimen-
 tum ad ferre philosophię studioso, quem
 liberum esse oporteat ab omnibus alijs
 occupationibus, & natura duce perse-
 uerare in his studijs, neq; sermonibus ho-
 minum ab instituto reuocari. Tandem
 cōcludit, ut antea quoq; nisi aut Philoso-
 phi ciuitatibus pręsint, aut qui pręsunt,
 philosophiæ dent operam, non fore bea-
 tam temp: Post hæc disputat de eo, quod
 appellatur Bonum, neq; tamen definit,
 tantum hoc dicit, Solem esse filium sum-
 mi illius boni, rerum omnium autho-
 ris. Libro septimo similitudinem ad-
 ducit de specu subterraneo, in quem
 modicum lucis illabitur, cuius inhabi-
 tatores nullam esse putent beatiorē ui-
 tam, è quo si quis in apertam lucem edu-
 ctus sit, ægerrimè possit intueri solem:
 ubi uerò paulatim assueuerit, admodum
 deploret eorum miseriam, qui in sub-
 terraneis illis locis uitam degunt. Eam
 uerò similitudinem accommodat ad
 animum

animum, qui eruditione excultus, ea solum cogitat & meditatur quę longę sunt supra res humanas, corruptioni obnoxias. Exponit deinde, quę potissimū artes necessarię sint uolētibus ad perfectionem hanc peruenire. Ponit autē Arithmeticam, Geometriam, Astronomiam, & postremo, Dialecticam, quam ualde magnis extollit laudibus, eamq; finem esse dicit ac ueluti summam reliquarum artium, ideoq; non nisi postremo loco tradendam esse iuuenibus iam naturę grandioribus. Diligenter autem præcipit, ut adolescentes liberaliter, & non coacti, sed ueluti per ludum instituantur, quod liberum ingenium non deceat, artem aliquam more seruili condiscere. In Dialecticis autem reprehendit morem illum captiosę atq; sophisticę disputandę. Quare non omneis indifferenter huc recipiendos ait, sed uiros tantum graues ac moderatos, qui ueritati studeant, non autem id agant, ut captiosę omnia subuertant. Qui enim eo sint ingenio præditi, hoc est, qui uersute ac insidiosę disputent, fluctuare animis, nec ullam tenere certam sententiam. Et quemadmodum adolescentes,

ita

SUMMA PLATONIS

Ita quoque puellas institui iubet atque formari, eas nimirum, quæ sint his rebus idoneæ. Libro octavo recenset formas reipub. & præstantissimam quidem esse dicit optimatum gubernationem, sed hanc facile degenerare in Ambitiosam, ex eaque deinde nasci paucorum potentiam, quam dicit esse plurimis malis plenam rempublicam ex ista deinde administrationem popularem seu multitudinis, ex eaque demum tyrannidem, quartum civitatis & extremum morbum. Post hæc interpellatus Socrates à Glaucone, qui diceret eiusmodi rempublicam qualem antea descripserit, non facile posse in suo statu perturbari: respondet id quidem esse verum, sed quoniam omne quod genitum est, corruptioni sit obnoxium, ideo quoque talem reipub. constitutionem non posse perpetuam esse. Turbari autem respublicas & commoveri per seditionem, cuius originem esse dicit ex dissimilitudine morum & ingeniorum. Liberos enim plerumque degenerare, quod parentes aptum atque legitimum procreandi tempus non observent. Itaque fieri, ut ex aureo patre nascatur ænea vel ferrea proles, atque hanc esse causam,

causam, cur ciuitatum conditio semper euadat deterior. Ambitiosam gubernationem uocat eam, quæ est media inter optimates ac paucorum potentiam, & ubicunq; ea nascitur, ait illam quæ fuit antea, rerum communionem dissipari, & unumquenq; id operam dare, ut statim & quàm plurimum ditescat. Ex eo deinde sequi Oligarchiam, in qua Magistratus et munera publica, pro magnitudine census & opum distribuuntur, exclusis omnibus, qui sunt re tenuioribus eiusmodi autem remp. nec bonam esse posse nec diuturnam. Quemadmodum enim si nauis præficiatur aliquis locupletior, imperitus tamen, uectores in magno sint fururi periculo: sic etiam non posse non infeliciter administrari ciuitatem, in qua non uirtuti, sed opibus sit ad honores patefacta uia. Sic enim fieri, ut dum pauci quidam student quocunq; modo fieri quàm locupletissimi, complures alij redigantur ad inopiam: Inter eos autem, qui sunt re minus lauta, esse complures, qui furtis, latrocinijis, sacrilegijs, & id genus alijs flagitijs dent operam: hos tandem indignè ferre suam fortunam, & quoniam multitudine ac mis-

mero uincunt, oligarchis illis aut neca-
 tis aut in exilium eiectis, rempub. inter
 se partiri, atq; hunc esse popularem sta-
 tum, in quo summa sit ac propè nimia li-
 bertas, propter scelerum impunitatem,
 eoq; nomine reprehendit Athenas. Et
 sicut in oligarchia præcipuum bonum
 esse creditur, diuitiarum copia, sic in de-
 mocratia libertatem ab omnibus flagio-
 tari: Eius uerò status exitum esse dicit,
 tyrannidem. populus enim, inquit, ut
 ijs, qui nimia freti libertate, suis planè
 seruiunt commodis, resistat, ex omni
 multitudine sibi aliquem deligit, eumq;
 facultatibus amplificat. Is deinde lupi
 naturam induit, & principio quidè ex-
 cogitata calumniâ, tollitè medio quos
 timet, ac quò tutior sit, corporis sui sa-
 tellites à populo requirit ac impetrat, fit
 blandus & mansuetudinem simulat ad
 tempus, multis aliquando bene facit,
 ut gratiam sibi conciliet, sed & operam
 dat, ut excitatis bellis, ipsius opera ma-
 ximè sit necessaria, quibus in bellis eos
 interim obijcit hosti, quos uidet libe-
 rali præditos ingenio, quosq; suum im-
 perium detrectaturos putat. Diligene-
 ter enim providere ipsum oportet, ne
 quem

quem bonum et prudentem uirum, à cuius uirtute sibi metuere possit, reliquum faciat, planè dissimilis à medicorum instituto, qui quod uitiosum est in corpore, solummodo tollunt, nisi enimità se comparet, non possit dominari. Sed & stipatorum atque satellitum suorum auxilio, ciuibus eripit omnia tela, qui nimium serò fortunam suam tandem deplorant & intelligunt, quàm uirulentam bestiam educarint in sinu, quam non temere possint, cum uolunt, excusere.

Nono libro demonstrat, tyrannum esse omnium hominum longè miserrimum, & quò diutius in tyrannide uiuat, eò fieri deteriorem, & agitari perpetuo uarijs multisq; timoribus & cupiditatibus, ac ueluti carcere clausum cōtinere se domi intra muros: itaq; uerè seruum esse & expertem omnis humanitatis ac beneuolentiæ: quod si etiam ipsius flagitia laterent deos & homines, tamen esse miserrimum. Post ingreditur in locum philosophicum & communem, ostendens, neminem frui sincera uoluptate, nisi uirū prudentem & temperantem: eos uerò qui corporis uoluptatem sequantur, omnium esse mi-

SUMMA PLATONIS

ferrimos, & illam qua frui uidentur, uoluptatem, esse fluxam & umbratilem; Tyrannum etiam, qui legum seueritatem & uincula fugit, qui rationem minime sequitur ducem, esse remotum & alienum ab omni uoluptate honesta: uirum autem prudentem cogitare inprimis, quemadmodum optimis rebus animum exornet, nec ullum suscipiat honorem aut uitæ genus, quod animum deprauare, & a constantia remouere possit. Ridens deinde subiungit, nullam extare eiusmodi ciuitatem, qualem ipse describat, & hoc se spectare tantum, qualis esse debeat. Supra libro tertio, ubi de Musica loquitur, quam diuidit in orationem, harmoniam, & rhythmum, poetarum quoque mentionem facit, & ostendit quæ potissimum loca sint ex ijs proponenda iuuentuti: nec enim promiscue illis omnia esse tradenda. Eandem sententiam repetit libro decimo, propter eos, qui Homerum & quosdam alios poetas Tragicos ita commendabant, ut ad ipsorum præscripta, cum priuatim, tum publice uitam instituerent esse dicerent. Hoc autem refellit, & ait hymnos, quibus uel deorum uel hominum

minum laudes celebrant, admittendos,
 reliqua uerò omnia, quibus uarios ho-
 minū adfectus depingunt, adeò nihil cō-
 ferre ad ciuitatis institutionem, ut etiam
 bonorum uiroꝝ animos deprauare
 possint, atq; hoc locis aliquot ex Ho-
 mero desumptis ostendit. Homerum
 quoq; dicit, nec rem pub. ullam bonis le-
 gibus formasse, ut Lycurgus fecit, neq;
 beneficium aliquod in ullam ciuitatem
 contulisse, neq; consilio bellum ullum
 gubernasse, neq; posteris reliquisse pre-
 clara morum & officiorum, quæ omni
 uitæ conueniant, præcepta, sicut Thales
 Milesius & alij quidam, neq; fuisse ali-
 cuius disciplinæ uitæq; ducem, ut Py-
 thagoras fuit. His igitur de causis con-
 cludit, poetas tantum esse imaginum
 uirtutis imitatores, ad ipsius autem ueris-
 tatis intimam perfectamq; cognitionem
 minimè penetrare. Modestè tamē hunc
 locum tractat, sibiq; petit in nosci, quod
 sententiam suam dissimulare non pos-
 sit esse quidem philosophis quoddam
 uetus odium ac similitatem cum poëtis,
 uerum eò nihil commoueri se, neq; tri-
 buere aliquid affectui, & inde à puero
 uereri se cum primis & amare optimum

SUMMA PLATONIS

Authorem, Homerum: hoc etiam profite-
 ri, poetam esse uoluptatis & recreatio-
 nis non inhonestæ ministram, & hunc il-
 lius usum esse posse, uerum ut in reip.
 recipiatur, & in rebus grauibus autho-
 ritatem obtineat, minimè committen-
 dum esse. Post hæc ingreditur disputa-
 tionem de animæ immortalitate, cui
 post hanc uitam proposita sint æterna
 uel præmia uel tormenta, pro cuiusq; be-
 ne uel male factis, ubi & fabulam inserit
 de quodam Ero Pamphilio, qui resuscitatus
 à morte, commemorabat hominibus,
 qualis esset animarum status at-
 que conditio post hanc uitam, & quem-
 admodum sint adfectæ. Libro primo
 de legibus, cōueniunt Atheniensis, Cre-
 tensis & Lacedæmonius, qui de patrijs
 legibus inter se disputant: & Atheni-
 ensis quidem rogat ex Creteni, cur con-
 uiria publica, gymnasia et armorum tra-
 ctatio sit apud eos instituta. Eius rei
 explicata ratione, alter dicit, in feren-
 dis legibus & in omni guberatione spe-
 ctandum esse in primis ad ea, quæ uo-
 cantur bona diuina, prudentiam, Iusti-
 tiam, fortitudinem, temperantiam: de-
 inde uerò ad inferiora bona, sanitatem,
 formatam

formam, uires, diuitias. Paulatim deinde accedit ad rem ipsam, & tam Cretensium quàm Lacedæmoniorū leges ponderat. Nam edicto cautum erat, ne quis iuuenis in leges inquireret, ipsis autem senibus licebat remotis adoleſcentibus, de legum authoritate sermonem conferre ac disceptare. cum igitur soli conuenissent hi senes, oblatam quæſtionem tractant. Et de computationibus quidem initio loquitur Athenienſis, de cæp alijs uoluptatibus, & Cretensium morem grauitè reprehendit, qui Iouem, raptò Ganymede, mali cuiusdam exempli ferebant authorem ipsis extitisse. Hic uerò Lacedæmonius abrumpit sermonem, suæq; ciuitatis morem laudat, quæ neq; temulentiam nec aliquid prætereà admittat, quod uoluptatis irritamentum esse possit, imò grauiſſimè puniat ebrietatem. Tum Athenienſis, rectum quidem hunc esse morem ait, sed tamē in eiusmodi colloctionibus non ità subito uel laudandum uel uituperandum esse aliquid, & prius inspiciendum, quid qua ratione sit institutum. Et quamuis ebrietatem ipse uituperet, eò quòd rebus gerendis inepta sit, quòd

SUMMA PLATONIS

Omnis generis adfectus uehementissimè inflammet, quòd memoriam & intelligendi uim omnem extinguat, tamen si quis ciuium suorum mores atque naturam, leui & minime noxio experimento cognoscere uelit, nihil ad eam rem esse convenientius, quàm compositiones atq; uinum. Post, inserit ualde illustrem sententiam, et ait eos qui in aliqua re sint præ cæteris futuri excellentes, oportere à teneris annis, ad eam rem, ueluti per ludum assuescere & exerceri. Quod eò pertinet, ut demonstrat, disciplina homines uel probos effici uel uitiosos, ut quæ maximam uim atque momentum in omnem uitã adferat. Vini aut hanc dicit esse uim atq; naturã, ut qui bibit, prius fiat alacrior, deinde, quò plus hauserit, eò sit ampliore spe, tantoq; de se precarius ipse sentiat, & tandem confidenter ac animosè quiduis & dicat & faciat. Libro secundo multam denuo mentionem facit Musices, quam ad componendos & formandos animi motus omnino uult referri. Postea subiungit, adolecentibus abstinendum esse à uino, ad annum usq; xviij, nec igni addendum esse ignem, quo ad incipient perferre ac
 subire

subire laborem. Ab ea demum ætate, ualde moderatè utendum esse uino, usq; ad annum tricesimū, & magno studio cauendū ab ebrietate: Post annum uerò quadragesimum copiosius bibendum esse, in honorem diuorum, imprimis autem Bacchi, qui uinū sit largitus hominibus, tanquam remediū, quo senectutis molestiæ omnes abstergi possint, ut et reuiuiscere quodammodo uideamur, & gratiores cogitationes à nobis depellamus, et ut animus, uino, tanquam igni, calefactus & exhilaratus, flexibilior fiat, sicut ferrum uidemus in igni mollescere. Compotantibus autem iuuenibus oportere quendam adesse, ueluti custodem, qui mores illorum & ingenia, sobrius ipse, contempletur & obseruet, & cum indecore uel impudenter aliquid sit, corrigat, tunc, quum bibēdo animi facti sunt molliores & obsequentiores. Breuiter, ita iubet uti uino, ut uerecundia semper meminerimus, & ut corporis uires atq; sanitas aualescant. Quod si ad eum modum compotetur, nihil esse uitij: ut autem omnes promiscuè conueniant, remotis arbitris morumq; magistris, minimè concedendum esse, ac tunc

SUMMA PLATONIS

potius laudandum esse Carthaginen-
 sium morem, ne quis uidelicet in caltris
 uinum bibat. Rectè facturos etiam ma-
 gistratus, quando rei publicę uacabunt,
 si diuino sibi temperent, item coniuges,
 cum liberis daturı sunt operam. Postres-
 mō redit ad illud quod superiori libro
 dixerat, Bacchi patris munus nō itā sim-
 pliciter uituperandum esse, quasi pro-
 cul ē ciuitatibus eliminandum sit. La-
 cedæmonius enim reprehenderat hunc
 compotandi morem, & alteri temulen-
 tiam obiecerat, in ipsorum republica
 receptā. Post hæc inquit et expendit,
 cur ciuitates nonnullæ, ex paruis iniitijs
 & humili loco factæ sint potentes, aliæ
 uerò, postquam aliquandiu floruerunt,
 redactæ sint ad tenuitatem & inopiam.
 Repetit autem paulò altius, nimirum ab
 eo tempore, quo maxima pars orbis ter-
 rarum ingenti illo diluuiō uastata fuit.
 Tum ait inter eos, qui pauci admodum
 reliqui fuerunt ex ea calamitate, maxi-
 mum fuisse amorem & summam bene-
 uolentiam, propter solitudinem illam
 horrendam & paucitatem ipsorum,
 quando nec in magnis copijs nec ino-
 pia, seditionis ullam haberent occasio-
 nem.

nem. In quocunq; enim hominum cœtu nec inopia nec diuitiæ sint, ibi iustissimos mores uigere, quòd & iniuriæ & inuidentiæ procul absint. Illos ergo tum homines, ut literarum & artium nullam habuerunt cognitionem, & sicut ab omni contentione fuerunt alieni, sic quosque fuisse cū primis rectos & simplices et modestos, & primis aliquot temporibus habitasse diuersos, & unumquenq; suæ familiæ, uxori & liberis imperasse, consuetudinem suorum maiorum moresq; secutum: cum deinde paulatim excolerentur, plures una conuenisse, qui iunctis domicilijs, ut à ferarum iniurijs essent tutiores, sepius alijscq; se rebus communierint: & quoniam è sua quisq; domo atq; familia, tanquam ex patria regione, leges & mores auitos adferret, necesse omninò fuisse, ut certi quidam, diuersis omnium legibus inspectis & dijudicatis, quod optimum esset, eligerent: eos tum fuisse legumlatores, qui coactæ alicui hominum multitudini leges dederint: tandem uerò multos eiusmodi cœtus & oppida principem aliquem uirum sibi delegisse, à quo regerentur, aut etiam
 ex ipsis

SUMMA PLATONIS

ex ipsis unum aliquem populum fuisse reliquis præfectum, & inita inter ipsos fœdera, de tuenda libertate & propulsanda iniuria communi, & tale quidem fœdus ait fuisse inter Lacedæmonios, Argiuos & Messenios, Peloponnesi civitates. Ità quoq; natura ferè comparatum esse dicit, ut senes adolescentibus, viri fortes, ignobilibus & ignavis, parentes liberis, prudentes insipientibus dominantur. sed & illum principatum, qui sorte contingit, numerat: eum uerò principatum, quando viri prudentes rerum summæ præficiuntur, omnibus alijs anteponeit. Duas præterea gubernationum civilium ueluti parentes esse dicit, Monarchiam & Democratiam: ex his enim reliquas omnes manare. Et monarchiam quidem ait apud Persas uiguisse, democratiam autem apud Athenienses. Ingreditur deinde locum pulcherrimum & planè historicum, de regibus Persarum, Cyro, Cambyse, Dario, Xerxe, & Cyrum quidem bonum fuisse ducē fatetur, sed in eo ualde peccasse, quòd filios molliter inter scæminas educarit, qui grandiores facti, & ab assentatoribus corrupti, cū ipsorū auribus pariter seruirent.

seruirent, mortuo patre, alter alterū in-
terfecerint, Cambyfes etiam à puero uis-
tiosè educatus, regnum propè subuerter-
rit. Post hunc regnasse Darium, popula-
riter quidem & satis modestè, sed in eo
errasse non mediocriter, quòd & ipse fi-
lium Xerxem molliter educarit, qui si-
mitem habuerit, ut Cambyfes, uitæ exi-
tum, ab eorū tempore nullū fuisse Per-
sarum regem magnum, nisi solo nomi-
ne: Quod ipsum non fortunæ quidem
tribuendum sit, sed deprauato uitæ ge-
neri, quod regum actyrannorum filij fe-
rè complectantur, qui neq; pueri, neque
uiri, neq; senes ad bonam frugem perue-
nire possint, impediti plurimis uitiorum
illecebris. Hęc autem eò dicit, ut demon-
stret, Persarum regum Imperium occi-
disse, quòd nimis magna seruitute popu-
lum constringerent, & Atheniensium
republicam esse labefactatam, quòd
populus nimis magna frueretur libera-
te. Nam in utroq; seruandum esse mo-
dum, eorū refert illud præclarum Hesi-
odi dictum, Dimidium plus toto, quo
præcipit, moderatum esse præferendum
immoderato, & tã in Monarchia quàm
democratia seruandam mediocritatem,

SYMMA PLATONIS

eoq̄ nomine taxat Messenam & Argio-
 uos, qui nimia libertate lasciuebant, mi-
 nimē secuti uestigia Lacedemoniorum,
 quos magnopere laudat, quod in ipso-
 rum republica nobilium administratio
 esset temperata xxviij, uiris natu gran-
 dioribus, ac praterea ipsis Ephoris, qui
 luxuriantem principatum cohercerent.
 Sub finem superioris dialogi, Creten-
 sis dixerat, bonam Cretenesium partem
 uelle coloniam deducere, eiusq̄ rei curā
 esse demandatam Gnosijs, & sibi Gno-
 sio ciui cum alijs nonnullis datum esse
 negocium, ut ex omnibus Cretenesium
 legibus, neq̄ solum ex ijs, uerum etiam
 experegrinis & exteris colligerent, quas
 iudicarent optimas, quibus noua colo-
 nia institueretur. Hoc igitur est argu-
 mentum & occasio eius colloquij, quod
 nunc inter se habent. Et primū quidem
 Atheniensis rogat Cretensem de uarijs
 rebus, an ea colonia sit futura mariti-
 ma, an portuosa, an oppidū aliquod ha-
 beat uicinum, an regio sit fertilis, an ab-
 bundet materia fabricandis nauibus.
 Cumq̄ ille dixisset eā aliquantō longi-
 us à mari abesse, nec admodum esse fru-
 ctuosam, sed neq̄ arbores ibi prouenire
 constru

cōstruendis nauibus aptas: alter respon-
det, bene rem habere, eamq̃ urbem hoc
ipso esse aptiorem ad uirtutem, quòd,
quibus uitijs maritimæ ac portuosæ ur-
bes propter cōmertia multarumq̃ gen-
tium aditus, opportunæ sunt, ñs nō faci-
le corrumpi possit & effœminari. Quòd
etiam ædificandis nauibus nulla sit i-
bi materies, hoc eò pertinere, ut ciues
fortissimè dimicent cum hoste, quando
profugiendū nullam sint habituri com-
moditatem, atq̃ eo loco recitat, quan-
tum Athenienses à pristina uirtute dege-
nerauerint, postquam cœperunt adorna-
re classem, quod fuit post illatum ipsis
bellum à Minoë. Reprehensum quoq̃
dicit Agamemnonem ab Vlysse, quòd
quo tempore Troiam acriter oppugna-
bant Græci, classem ipse pararit. Post
hæc rogat, quænam sit illa futura collu-
uio & turba colonorum, an omnes Cre-
tenses, an uerò & alij Græci, his permix-
ti. Plurimum enim referre, an sint unius
gentis & moris & regionis homines, an
sponte migrent propter angustos fines,
an uero seditiõe cōorta, uel bello pulsi di-
scedant: sed & hoc, an ex omnis generis
hominibus conflati sint; nam alios æ-

lijs facilius posse cohiberi legibus. Querit etiam ex Megillo Spartano, quæ sit forma reipub. Lacedæmoniorum; ille dubitanter respondet, ac tandem conuenit, esse mixtam, & quantum ad Epheoros pertinet, tyrannicam. Idem dicit Cretensis de Gnofo, & ambigue respondet. Postea de Saturni temporibus loquitur, & explicat fabulam. Saturnum enim, quod uideret hominem in magistratu positum, præsertim regem aliquem aut Monarcham, offerri nimirum, neque posse tenere modum, præfecisse ait suis ciuitatibus, non homines, uerum Dæmones, qui prudenter & continenter illas regerent. Nec enim hominibus uoluisse præficere homines, uerum præstantius aliquod genus, quemadmodum uidemus boues & capras, non ab eiusdem generis animalibus regi, uerum à nobiliori aliquo custode, nimirum ab homine. Hoc autem eò dicit (fabulam enim esse fatetur) ut demonstret, eos qui præesse debeant reip. oportere magnis uirtutibus & eximijs dotibus esse præditos. Addit insuper, leges debere condi, non pro salute unius modo partis, uerum totius reipub. corporis causa, & eos qui secus faciant,

non

non esse ciues, uerum homines seditio-
 sos, ideoq; magistratum appellat legum
 ministrum. Hæc locutus de legislato-
 ris officio, ac ueluti præfatus, ostendit,
 quemadmodum legislator, nouam colo-
 niã aut populum legibus formaturus,
 cohortari ipsos debeat ad uirtutem, &
 diligenter eis inculcare pœnas malorũ,
 præmia uerò bonorum, etiã ab hac uia
 ta: item, qua ratione & ordine sint ue-
 nerandi Diui, quis honor parentibus,
 quis amicis debeatur. Postremò, pul-
 cherrime demonstrat, oportere popu-
 lum non minus persuasionibus quã
 ui aut seueritate quadam ad leges obser-
 uandas excitari. Eius rei tale est exem-
 plum. Mandat iuuenibus legislator, ut
 post annum ætatis tricesimum quintum
 uxores ducãt, nisi faciant, multã con-
 stituit & ignominiã. Acerbum est istud
 atq; durum: iam qui uolet huic seueri-
 tati adhibere tanquam lene quoddam
 pharmacum, utetur persuasione: com-
 mendabit matrimonium & studiũ pro-
 creandi, tanquam rem maximẽ natura-
 lem, quæ nobis quandam immortalita-
 tem pariat, relictis post nos hæredibus,
 qui nostri tum imaginem tum memoriã

am repræsentent. Hanc esse commodis-
 simam rationem alliciendi populi ad a-
 morem & obseruationē legum: sed eam
 dicit ab omnibus prope legislatoribus
 prætermitti, quod reprehendit, monens
 ut singulis legibus præponatur exor-
 dium aliquod, quo deuinciantur homi-
 num mentes. Antequam ueniat ad fe-
 rendas leges, præfatur multa de Animo,
 quem dicit post deos maximè colendū
 esse & honorandum, quod illius poss-
 sessio sit uerè diuina: Tunc autem ue-
 rè coli & honorari, quum ex deteriori fit
 melior, cū ratio prauis affectibus domi-
 natur, cum nec uoluptarij sumus, nec a-
 uari, nec iniusti, sed modum in rebus om-
 nibus tenemus. Exponit deinde, quan-
 tum corporis cultui & bonis fortunę tri-
 buendum sit, quemadmodum senes de-
 beant uitę morumq; innocētia præire et
 tanq; prælucere iuuenibus, quomodo
 sint complectendi propinqui & consan-
 guinei, quomodo amici et sodales, quo-
 modo peregrini, quos ab omni iniuria
 uult esse tutos, propter uindicę Deum:
 quomodo supplices, quibus parcēdum
 esse iubet, quomodo ab alijs depellenda
 iniuria, cum possumus, quomodo bona
 quæ possi

quæ possidemus, cōmunicanda cum alijs. Duplicem quoq; naturam in homine, præsertim in magistratu, oportere inesse, ut uidelicet sit seuerus & clemens: quorū illud erga præfractos, alterum uero erga tractabiles ac emendationis cupidus ualere debeat. Fugiendū esse autem nimium sui amorem, qui enim eo uitio laborent, quid iustum, quid pulchrum, quid honestū sit, non recte posse iudicare. In ijs etiam, quæ in hanc uitam incidunt, in gaudio, mœrore, similibusq; rebus tenendū esse modum, & quoscunq; uitæ casus animo forti perferendos. Recitat deinde, quantū oporteat esse numerum ciuium, et agricolarū nouæ colonie, nimirum ad quinque millia et quadraginta, inter quos distribuēdi sint agri. Quod autem Socrates in sua republica disputat de communione rerum, idem hic repetit Plato, confirmans nullam posse cogitari sanctiorem aut foeliciorem remp. quæ uel propius ad deorum immortalium uitam accedat, quàm eam, in qua nō modo rerū omnium et possessionum sit cōmunio, uerum etiam, in qua quæ propria sunt cuiusq; hominis nature, communia sint, oculi, aures, manus, ut qui

S Y M M A P L A T O N I S

uidet, audit, agit aliquid, in communem
 usum uideat, audiat, agat, ubi rebus
 iisdem omnes latentur & doleant, tan-
 quam ad omneis indifferenter pertinen-
 tibus. At uerò, quòd eiusmodi resp. nec
 fuerit unquam, neq; futura speretur, con-
 tentus ostendisse formam & imaginem
 illius aliquam, transit ad eam reip. for-
 mam, quæ inter homines constitui po-
 test. Et principio quidem optimum esse
 dicit, ut ciues, alter alterum agnoscant,
 ut quisq; sciat, quantum alterius uirtuti
 tribuendum sit, & quos mereatur hono-
 res atq; munera. Cuiq; suum agrum di-
 ligenter esse colendum, neq; ciues oportere
 illū, quem supra posuit, numerum
 excedere. Ut etiam is, qui multos habet
 filios, unum aliquem ex ijs, quem uelit,
 possessionum & domus constituat hæ-
 redem, præcipit, reliquos uerò det ad-
 optandos ijs qui liberos non habent,
 utq; filia matrimonio collocentur. Mul-
 tas autem dicit esse rationes uel prohi-
 bēdæ uel augendæ procreationis libe-
 rorum, quando scilicet uel honor uel
 dedecus proponitur, & senum ad iuue-
 nes cohortationes accedunt. Sed cum
 eum, de quo dictum est, numerum exce-
 dit fœ-

dit foetura ciuium, iubet deduci coloni-
am, cunq̄ uel morbo uel quauis alia ca-
lamitate numerus hic imminutus est, ait
non temere admittendos esse, qui sunt
in alia disciplina instituti. Ciues or-
tneis uult sordidum & infamem qua-
stum uitare. foenerationem adeo impro-
bat & prohibet, ut ne sortem quidem il-
li qui mutuauit, reddendam esse dicat.
Post hæc, eorum refutat sententiam, qui
ciuitatē cupiunt esse quā ditissimam,
ac latē dominari terra mariq̄, cōfirmans
fieri non posse, ut probitas & iustitia sint
coniunctæ cum magnis diuitijs, & in ci-
uitate, quæ seditionem effugere uelit, o-
portere nec inopiam esse neq̄ diuitias.
Pecuariam & agriculturam ualde pro-
bat, ut honestos acquirendi modos. huc
deniq̄ spectat, ut demonstret, primum
animi bona esse comparanda, secundo
loco, corporis bonam ualetudinem, terti-
um ac postremum studium oportere es-
se pecuniæ: urbem etiam commodolo-
co ponendam esse & opportuno: per-
magnam enim uim, neq̄ leue momen-
tum esse positum in ipsius natura loci.
Libro sexto dicit, etiamsi optimis legi-
bus constituta sit respub. non posse ra-

S V M M A P L A T O N I S

then rectè gubernari neq; diu cōsistere,
 nisi idoneus sit magistratus, qui inde a
 primis annis rectè sit institutus. Tradit
 postea, quomodo sint creandi legū præ
 fecti, quomodo ciuium nomina conscri
 benda, & cuiusque census annotandus,
 quomodo eligendi exercitus duces, ma
 gistri equitum, tribuni militum & ordi
 num præfecti. Magistratus uerò creati
 onem debere ita fieri, ut media sit inter
 unius & populi potestatem: seruos enim
 & dominos, item probos & improbos
 nō posse coalescere, si cōmunio sit inter
 ipsos honorum; Laudandam quidem es
 se æqualitatem, sed illud sic accipien
 dum, ut illa demū sit uera & iusta equas
 litas, cum pro cuiusq; uirtute animiq;
 præstantia distribuuntur honores: Vi
 tandè autem offensionis causa, nonnul
 lis in rebus utendum esse sorte. Constitu
 endos etiam ædiles, qui uias & ædificia
 publica, qui portus, fora, fontes, deo
 rū phana & id genus alia procurent: it
 em quæstores atq; custodes sacræ pecu
 niæ, & curatores agrorum atq; limitum,
 qui dent operam, ut aduersus hostilē im
 petum regio sit munita, fossis atq; uallis
 in eum usum circumductis, item ut font
 tes

tes atq; flumina edificijs & arboribus exornentur. Rerum uenalium curatores uocat Censores, qui fori ordinem lege sancitum seruant. His omnibus accedunt Musices atq; Gymnasticæ magistratus, qui præsent, alij disciplinæ, alij exercitationis causa. Iubet autem ut omnes magistratus, officij sui & administrati muneris rationem reddant. Post hæc uenit ad iudices causarum, quandoquidem, nisi iudicia fuerint legitime constituta, ciuitas nulla diu consistere possit. Iudicum alios esse dicit, qui de priuatorum litibus cognoscunt, alios qui publica negocia tractant, alios autem arbitrarios, utriusq; partis uoluntate receptos. Ad publicas accusaciones, hoc est, cum aduersus rempublicam aliquis deliquit, uult omneis admitti, eò quòd ad omneis crimen & iniuria pertinet. Ostendit etiam, quomodo magistratus debeat instituere atq; formare adolescentes, qui post ipsos aliquando præerunt reipublice, nimirum ut modis omnibus incumbant in ea, quæ ciuitati sint profutura. quo loco & illud sanctissimè dicit, sic erudiendos esse ciues, ut gloriosum et honestum putent, mori pro pa-

SVMMA PLATONIS

tria, & ut quiduis patiatur potius, quam
 uelint aut euersam uidere patriam, & in
 seruitutem redigi, uel fuga ipsam dese-
 rere. sed & illud recte dicit, non posse sta-
 tim ab initio singula comprehendilegi-
 bus, uerum qui succedunt alijs, magi-
 stratus usu commonefactos, debere sta-
 tuere atq; etiam corrigere, que a maiori-
 bus uel pretermissa fuerunt uel minus
 idonee constituta. Venit deinde ad nu-
 ptias, tanquam ad seminarium ciuita-
 tis, ubi hoc imprimis conuenire ait, & esse
 ex usu reipublice, ut iuuenes neq; pau-
 perum affinitatem fugiant, neque diuitum
 sectentur: deinde, ut ferocios iuuenes
 in matrimonium ducant sedatorum &
 quietorum ciuium filias, quod soboles ut-
 riusq; parentis naturam referat. Ad
 eam uero rem non cogendos quidem
 esse illos, sed persuasionibus adducen-
 dos. Eum, qui post tricesimum quintum
 etatis annum, celibem uisam agit, pecu-
 nia quotannis mulctari, & in coetu iu-
 uenum esse iubet inhonoratum. Ad con-
 uuium nuptiale pauculos quosdam a-
 micos & propinquos debere conuoca-
 ri, ne crescat impensa, cunctq; per omnem
 uitam ebrietas uitanda sit, ait coniuges
 operam

Operam daturos liberis, oportere esse mi-
 nimè omnium uino grauatos, ut semper
 ex quàm maximè sobrijs & moderatis
 propagentur liberi. Quantum ad do-
 tem pertinet, iubet æqualitatem in eo
 seruari, uitandæ causæ offensionis. Vr-
 bem iubet edificari rotundam, & in lo-
 co eminentiore, quò & munitior sit &
 purior. muris autem non debere cingi,
 quòd ea res ad ignauiam & securitatem
 ciuium ualde pertineat, eoq; Lacedæmo-
 niorum morem commendat, qui muris
 carebāt. Possessionum omnium difficil-
 limam ait esse seruos, propter ipsorum
 improbitatem atq; nequitiam. Præcipit
 autem, ne nimium uel seuerè uel etiam
 molliter habeantur. tunc enim cuiusq;
 uirtutem et moderationem maxime per-
 spici, quando aliquis cauet, ne quam ijs
 iniuriam faciat, quibus facilè possit ac-
 propemodum impunè. Ob impotentis-
 am generandi iubet diuortium fieri, nō
 tamen subitò neq; temerè. Eo quise-
 quitur libro ait hominem esse animal
 mansuetum, & si cum natura scælici re-
 ctè instituat, euadere excellentissimū,
 sin minus, nihil eo deterius existere. Et
 sicut libro superiori tractauit de magi-

S Y M M A P L A T O N I S

stratibus, ita hic agit de institutione puerorum. Nisi enim priuata rectè procurantur, non esse quòd publica posse consistere quis speret. Plurimum ergo referre, quomodo sobolem quis domi nutriat, inq̃ remp. emittat. Recta uero educatione posse tū corpus tum animū quàm pulcherrima & optima reddi. Corpori ualde conferre motum, & agitationem nō laboriosam: sed & fœtus cum adhuc in utero gestantur, uult moueri, nimirum, ut grauidę frequenter deambulent nec ocio torpescant, item, ut nūtrices circumferant pueros, donec per se firmiter insistant, quod ad triennium usq̃ faciendum esse dicit. Mox à puerili ætate uel infantili potius, iubet illos paulatim assuefieri ad discendum aliquid, ac deinde cum adoleuerint, uult institui in Gymnastica & Musica, quarum illa corporis, hæc autem animi disciplinam contineat. Inprimis autem monet, ut ambæ manus, à teneris annis, ad omnes res pariter & æquè exerceantur, & assuefiant: hanc enim ad defendendum, illam nobis ad cadendum esse tributā: itaq̃ neutrà oportere uel ociosam esse uel inexercitam. Post hæc agit de
Musica

Musica, quo quidem in loco per occasi-
onem interserit insignem sententiam:
omnem uidelicet mutationem, præter-
quam in malis, esse periculosissimam,
in temporibus, in uentis, in curatione
ualetudinis, in moribus, breuiter, in om-
nibus rebus præterquam in malis, &
simul explicat, quòd quemadmodum
corpus humanū offenditur noua et inso-
lita ratione uictus. ità etiam homines ab-
horrere à nouis legibus, neq; temere il-
las mutare, in quibus educati sint, præfer-
tim si longo temporum spacio sint con-
firmatæ, & nostri temporis memoriam
antecedant. Hæc autem eò dicit, ut ne
permittatur pueris mutare ludos et alia,
quæ ad ludos pertinent, à maioribus,
ueluti per manus tradita. Nam ea con-
suetudine ipsos fieri inconstāiores, pau-
latim eis uetera omnia sordere & no-
ua placere: quæ quidem res maximam
pestem in ciuitatem inferat. In media ur-
be iubet collocari gymnasiarum ædifi-
cia publica, ubi iuuentus ad arcum &
telorum iactum exerceatur, in suburbijis
autem & foris, equestria. Deinde non
uult in parentum potestate esse, ut libe-
ros uel disciplinæ tradant, uel non tra-
dant.

SVMMA PLATONIS.

dant, sed cogendos ait, ut tradant, quòd
 respublica plus habeat iuris in filios,
 quàm ipsi parentes. Idem iudicat de mu-
 lieribus atq; puellis, quas in eisdem re-
 bus iubet exerceri atq; institui, ut ado-
 lescentes, neq; permittendum ut delitijs
 remollescant, et lanificiũ modò tractent
 sed curandum magis ut sciant arma tra-
 ctare, sicut Amazones, uel Sauromati-
 des ad Pontum Euxinum, idq; uel eò
 saltem, ut urgente necessitate, uiris omni-
 bus in militiam profectis, urbem ipsæ
 moeniaq; defendant. Hoc enim esse mul-
 to præclarior & utilius, quàm si in ocio
 educatæ, imminente hoste atq; periculo,
 statim ad aras & phana deorum confu-
 giant: ita fore, ut pro simplici uiro-
 rum subsidio, duplum respublica percipiat.
 Sub gymnasiorum autem nomine com-
 plectitur omnem exercitationem & sci-
 entiam bellicam, & quicquid ad eque-
 strem disciplinam pertinet. In his omni-
 bus ait tam puellas quàm adolescentes
 debere institui per magistros, reipubli-
 cæ sumptu conductos. Ad uigilantiam
 deinde hortatur, quòd somnus & uale-
 tudinem offendat, & animi uigorem
 extinguat. Arithmetica autem & geo-
 metriam

ometriam & Mathematicen ait esse discendas pueris. De uenatione postea loquitur, eamq; diuidit in aquatilem, uolatilem & terrestrem, et hanc solum probat, quoniam & equis & canibus & corporis uiribus agitur, reliquas, ut minus industrias & propemodum ociosas & illiberales, minus laudat. Octauo libro præcipit, quemadmodum sacra sint facienda diuis, etiam Plutoni, tanquam ei qui generi hominum semper faueat & sit salutaris, eò quòd animæ corporisq; coniunctio, nullo modo sit melior quam dissolutio. Deinde docet, quomodo ciues in armis alijsq; certaminibus sint exercendi, scilicet ut singulis mensibus uiriū & artis periculū faciant, neq; enim belli tempus expectandum, sed in ipsa pace ad rem bellicam assuefaciendos. Itaq; uult à magistratibus institui ludos & sacrificia, in quibus committantur pugne, quàm proximè imitantes uerapraelia: & si quis non studio neque dolo malo, sed casu fortuito in ijs occumbat, iubet esse impunè percussori, paucis enim quibusdam ità mortuis, reliquos esse futuros non deteriores, timorem etiam in animis ciuium extinguendum

SUMMA PLATONIS

guendum esse. Quod autem perpauca
 ciuitates hunc morem obseruant, duas
 adfert causas: ex ijs primam esse dicit,
 quod pleriq; opum accumulandarum
 cupiditate, rem solū familiarem curant,
 & ijs tantum artibus, unde sperant emo-
 lumentum, incumbunt. Alteram esse ait
 ipsius reipublicæ statum atq; formam,
 oligarchiam uidelicet aut tyrannidem.
 hos enim ferre non posse, ut in aliqua
 re ciues excellant. Cum autem eius colo-
 niæ, quam instituit, longè alia sit ratio,
 putat gymnica certamina locum ibi ha-
 bere, ac in usum reuocari posse. Hinc di-
 greditur ad corruptos sui temporis mo-
 res atq; libidines, quas tamen ait posse
 refrenari ijs, quas antea sanciuit, legi-
 bus, tum & ipsius magistratus diligen-
 tia et seueritate uiteq; exemplo. Adulte-
 ros & id genus alios impuros homines
 iubet esse infames, nec ullum eis hono-
 rem uult communicari, si modo de scele-
 re constet. postea transit ad leges agrico-
 larum, in quibus ea prima est, de nō mo-
 nendis agrorum finiumq; terminis, de
 pascuis, de apibus, de deriuandis aquis,
 de percipiendis colligendisq; frugibus
 & autumnii fructibus, de non corrupen-
 disfon

dis fontibus. Quantum ad opifices attinet, uetat ne quis duo tractet artificia, sed uni tantum incumbat. Pro ijs quæ uel exportantur uel importantur, nullum uult dependi uectigal. Rerum externarum nihil uult importari, præter ea, quibus omninò carere non possit ciuitas, nihil etiam exportari, quod incolis & regioni sit necessarium. Rebus uenialibus præficit Censores, qui provideant, ne qua fraus committatur. In sequenti libro tractaturus de iudicijs et pœnis malefactorū, utitur præoccupatiōe, quasi minus decorum sit atq; etiam superfluum, de eiusmodi rebus aliquid præcipere in ea ciuitate, quæ iam sit optimis sanctissimisq; legibus informata, ubi non sit credibile, futuros homines adeò flagitiosos, ut ijs legū uinculis eos coercere sit necesse. Quoniã uerò deteriora sint tempora, quàm fuerunt olim, & quia cum hominibus non cum diuis negotium sit, ait hanc quoque partem disciplinæ prætermitti non posse. Et principio quidem de sacrilegijs agit, aliamq; seruis, aliam ciuibus pœnam irrogat. Postea de seditiosis et legum euersoribus, item de furibus & proditoribus, & fures

SVMMA PLATONIS.

& fures quidem eodem modo uult puniri, siue magnum siue paruum sit furtum. Cumq; hoc non nihil absurdum uideretur Clinie, existimantis pœnam debere infligi pro magnitudine delicti, pulcherrimam disputationem ingreditur de diuersitate maleficiorum & iniuriarum. Ait enim quædam ab hominibus fieri, ui & aperte, quædã clam et fraudulenter, quædam consultò, quædam inconsultò, nonnulla per iram, & eam quidem aut subitam cum pœnitentia facti, aut præmeditatam sine pœnitentia. Ad hunc modũ distinguit omnia, confirmans pro hac diuersitate pœnam esse irrogandam. Post transit ad eadem, & aliam dicit esse uoluntariam, aliam minus, aliam ex ira committi, et ea quidem duplici. Non uoluntariã primo tractat, cum quis uel in publicis gymnasijs alium quem, uel medicus ægrotum, uel liber seruum, uel seruus liberum, uel liber liberum, uel ciuis peregrinum, uel peregrinus ciuem, uel peregrinus peregrinum non sponte interficit. Deinde ad eam, quæ fit per irã, descendit, in eiusq; cognitione magnam esse dicit difficultatem, an sit uoluntaria, nec ne. Quæ per
subitam

subitam & uehementiorem iram fit, ei
 mitiorem poenā statuit: seruum tamen,
 qui herum suum, aut filium, qui paren-
 tem sic interfecisset, capitis poenam subi-
 re iubet. Voluntariam uerò capite ple-
 ctit, siue quis ipse, siue per alios eam per-
 petrarit. Parricidium autē commissum
 ex industria, sic punit, ut post sumptum
 de percussore capitis supplicium, nu-
 dum cadauer extra urbem protraha-
 tur, atq; ibi omnes qui sunt cum magis-
 stratu, lapidem in illius caput conici-
 ant, post, extra fines regionis pertra-
 ctum, dimittatur insepultum. Eos qui
 mortem sibi cōsciscunt ipsi, uult separa-
 tim sepeliri. Ignotum homicidium ius-
 bet praconis uoce proclamari, postea
 uerò homicidam deprehensum capitis
 poenam luere. Vbi de cede tractauit, ue-
 nit ad uim & uulnera, quæ & ipsa dicit
 uel sponte, uel ira, uel timore aliquo, uel
 nō sponte fieri, et poenam horum omnium
 augeri, tum ex persona eius qui læditur,
 tum ex loco uulneris. Breuiter, nullum
 facinus atq; delictum uult impunitū di-
 mitti, sed uel morte, uel uinculis, uel uer-
 beribus, uel ignominia, uel multa ca-
 stigari, & Iudices, qui de maleficijs co-

SUMMA PLATONIS

gnoscunt, iureiurando, quod Vestę deę
 præstare debent, astringit, ut legitime,
 quantũ in ipsis erit, pronuncient. Adij-
 cit & hanc insignem sententiam, oportere
 leges ita conscribi, ut patris matrisq;
 personam legislator representet, atq; ut
 scriptę leges amoris benevolentiaq; si-
 gnificationem quandam habeant, non
 autem ullius uel crudelitatis uel tyranni-
 dis. ideoq; præfationibus iubet demul-
 ceri ac premolliri hominum animos, an-
 tequam leges proponantur. Eos enim
 qui non sint omnino deplorati, uel non
 delicturos omnino, uel multo certè mi-
 nus, partim metu, partim pudore. Quas
 propter et insanabiles iubet è medio to-
 li, quod duplex inde commodum ad-
 remp. redeat; primum, quod horum ex-
 emplo reliqui deterrētur, deinde, quod
 ab improbis liberatur ciuitas, ne quid
 ex contagione accipiat incommodi. pri-
 us tamen omnes alias rationes tentan-
 das: modo ne crimen sit tam atrox, ut sit
 nefas, eum qui deliquit, diutius intueri
 solem. Magnam uerò partem delictor-
 um ex eo prouenire dicit, quod homi-
 nes primum locũ tribuunt diuitijs, cum
 et animi & corporis dotes longè sint an-
 teponen-

reponendæ. corpus enim esse creatum animi causa, diuitias autem, propter corpus. Posthæc ostendit, quàm sint necessaria legum uincula. nisi enim hæc interueniant hominum uitam, quæ quidam sint tempora, futuram esse immanissimam. Cuius quidem rei hanc dicit esse causam, quòd nullius hominis ingenium ità sit natura institutum, ut quæ ad publicam humanæ uitæ utilitatem conferunt, satis cognoscat, neque si cognoscat, id semper agere possit ac uelit, quod optimum esse uidet. Nulla autem re magis augeri & efflorescere ciuitates, quàm si publicam salutem procurent omnes: cum uerò priuatum quisque suū spectat emolumentū, dilabi illas & corruere. Quod supra dictum est de his qui se interficiunt ipsi, distinguit, & atrocius esse dicit, cum aliquis ignauia quadam hoc in se admittit, quàm cum uel pudore uel tortuito aliquo casu impulsus facit. Est qui uim alicui puellæ facit atque fœminæ, iubet interfici ab eius, cui facta est iniuria, cōsanguineis & affinibus, patre, fratre, filio, marito. Post enumerata maleficia & horum pœnas, loquitur de omni uis iniuria & cōtumes

lia, quæ uel in uicinum, uel in publica & sacra, uel in sacra priuata & sepulchra, uel in magistratū, uel in ipsos deos committitur. Et impietatem quidem in deos triplicem esse ait. Nam alij negant ullos esse deos, alij deos quidem esse fatentur, sed nihil curare humana, alij concedunt utrunq; sed deos, ab impijs etiã et scelerosis hominibus facile posse placari sacrificijs. Et quoniam huiusmodi opiniones maximam pestem in ciuitates inferunt, eò quòd sceleribus & impietati fenestram aperiunt, disputationem ingreditur, & ostendit hæc omnia esse falsa & impiè excogitata. Ac primo quidem refellit opinionem eorū, qui dicebant corpus esse factum prius quàm animam, & demonstrat eum motū, qui & se ipsum & deinde alia mouet, esse omnium motuum nobilissimum atq; primū: talem autem motum esse animam, quæ & se moueat ipsa, & deinde corpus quoque moueat et regat, ex quo facile colligi possit, eam esse multò priorem corpore, imò corpus, animæ tanquam domino subiectum esse. Deum uerò dicit esse optimam & præstantissimam animam, quæ suis motibus uniuersa ducit, quæ in cœlo, ter

lo, terra, mari uiuunt: ideoq; deorum plena esse omnia. Quòd autem nonnulli dicunt, Deos non curare humana, opinio- nem hanc ex eò prouenire ait, quod iniusti homines atq; improbi foelicissimos habeant saepe successus in rebus omnibus: nec enim deos alioqui permissuros, ut qui sunt impij, rebus omnibus sic au- geantur & splendescant. Verum ipse demonstrat, in Deos non cadere uel timorem ullum, uel obliuionem, uel negli- gentiam, uel talem aliquem affectum, ut magna quidem curent, parua uerò ne- gligant, sed ex æquo curare omnia, per eam, quæ in ipsis est, prouidētiam. Cum enim medicus in curando corpore, uel architectus in ædificando, uel quiuis pa- terfamilias in sua domo, diligenter pro- uideat, ne quid omninò, quod suæ sit professionis & artis, negligat: non oportere credi, ipsos deos, qui sint sapientissi- mi, qui omnia tum possint, tum uelint, esse hominibus negligentiores, minusq; sollicitos: Sic igitur existimandum, non posse homines iudicium deorum effu- gere, sed pœnas aliquando suorum sce- lerum duros. Atq; ut maximè foelices hic esse uideantur impij, tamen nullam

SUMMA PLATONIS

hanc esse foelicitatem, & fore ut à morte grauiffimè torqueantur. Eos autem, qui sacrificijs posse placari deos ab impijs, dicunt, non secus facere, ac si deos putent esse canes, quibus lupi partem aliquam rapinae concedant, atq; illi interim patiantur gregem dilacerari, aut esse ueluti nauis gubernatorem, qui uini suauitate captus, & tanquam sui oblitus, clauum deserat & nauim fluctibus agitari permittat. Quod cum ualde sit absurdum, & quoniam homines uel mediocriter iusti non patiuntur se muneribus corrumpi, ut ius & equum prodant: non debere etiam quenquam existimare, Deos, optimos sanè custodes, hominibus esse deteriores. Ad hanc uerò disputationem ait se descendisse, ut homines melius & reuerentius de Deo sentiant: eum etiam qui de his rebus legem feret, ait hoc ueluti præmio debere uti ad homines, ut impio uitæ genere relicto, ad pietatem sese conuertant: deinde, lege cauendum esse, ut qui parum reuerenter et impie de Deo sit locutus, ad magistratum accusetur, et pro delicti conditione puniatur. Cum autem ex ijs tribus opinionibus, ab eo confutatis, diuersa
 proueni

proueniant peccatorum genera, dicit eos non simili poena, sed alios duriore, alios mitiore esse affligēdos. Quosdam enim, tametsi deos esse negant, tamen naturæ quadam bonitate, uirtutem amare et improbitatem odisse: qui tales sunt, esse tractandos paulò clementius, & carcere cohibendos, & sermonibus bonorū in meliorem sententiam adducendos. Qui uerò prauæ & impiæ sententiæ malos coniungunt mores, & disputationibus etiam sua propugnant, multò grauius debere puniri. Itaq; propter eos, qui tam faciles putant esse Deos & exorabiles etiam impijs, legem statuit, ne quis in domo priuata sacellum habeat, neque sibi deos aut deorum sacra præter leges fingat, sed ut ad publica quisq; sacrificia ueniat, quæ palam sacerdotes peragunt. uerū antequam superiorem istam disputationem ingreditur, ait esse ualde arduum, rationibus confutare & persequi receptam ferè ab omnibus, doctis pariter & indoctis, prauam illam atq; peruersam, de dijs et iustitia, persuasionem. Libro undecimo uaria tractat, & primò quidem de non surripendis alienis thesauris, eamque ueluti regulam ponit.

S V M M A P L A T O N I S

Quæ non deposuisti, ne tollas: deinde, de non asportando eo, quod alicubi reli-
ctū est ab aliquo, uult enim eiusmodi
omnia suo loco relinquī, tanquam con-
secrata deæ itineris. Iubet etiam ut liber-
ti suos patronos obseruent & reueren-
tantur, nimirum ut singulis mensibus
ter ad patroni domum ueniant, officia-
um & obsequium illi suum deferant, il-
liusq; uoluntate uxores ducant, et ne ma-
iores habeant opes, quàm patronus ipse,
aut quas habent ampliores, ut eæ patro-
no cedant. Posthæc transit ad emptionē
& uenditionem, ac iubet, ut uenditor ac-
cepto precio rei uendite, q̄d modo trigin-
ta drachmas excedat, decē diebus in ur-
be maneat, et emptor eius diuersoriū nō
ignoret, idq; propter uitium rei empta-
e, si quod fortē deprehendatur, quo qui-
dem in loco prolixè agit de Redhibito-
ria actiōe, deq; edictio edicto, et diligen-
ter distinguit, quid cui prestādū sit. Nā
si medico uel gymnaste uenditus sit ser-
uus uitiosus aut ægrotus, actionem illā
ait nō habere locum, secus autem, cum
earum rerū imperito aliquid uenditur.
Ipsam autem reticentiam, cum uideli-
cet uenditor emolumēti sui causa, quod
ipse

ipse scit, id eum celat, cuius intersit id scire, grauius uituperat, & animaduersione dignam esse, & duplicatum precium emptori dicit esse reddendum. Caet etiam, ne qui uendunt aliquid, aut adulterinum uendant, aut supra iustum precium aliquid exigant: sed & commendationem rei uenalis nullam, nec iusiurandum etiam uult interuenire. Qui uitiatam & non synceram rem uendit, eum & mercis iacturam facere iubet, & totidem cædi uerberibus, quot drachmis illam uer didit. his rebus diiudicandis constituit ædiles atq; censores. Ad caupones deinde uenit, quod genus hominum ait propter auaritiam & rapacitatem haberi minus honestum et liberale, nō tam ipsius rei causa, quæ sit per necessaria, quam ipsorum hominum uitio. Sic enim esse comparatum in rebus humanis, ut pauci admodum, etiam natura non mala præditi ac bene educati, cum uel egestate premuntur, uel alicuius rei tenentur cupiditate, continenter agant, & mediocri quæstu sint contenti. Quia uerò cauponibus omninò carere non possunt ciuitates, hoc consiliū dat, ut quàm paucissimi sint, & peregrin-

SUMMA PLATONIS.

ni solum, atq; hi, quàm minimè malì aut
 sordidi. Iubet autem, ut ædiles ac rerum
 uenaliùm curatores, & agris præfecti
 magistratus, collatis rationibus, emolu-
 menti et sumptuū, qui in hoc genere uer-
 santur, æquum lucrum & tolerabile cau-
 ponibus constituent. Opificibus hanc
 præscribit legem, ut ad constitutum tem-
 pus promissum opus perficiant, item ne
 quid corrumpant, nèue pluris quàm æ-
 quum est, uendant. Fortes ac rei milita-
 ris peritos homines, qui rei pub. profue-
 runt, iubet honoribus affici, ne iustam
 habeant offensionis & querimoniæ cau-
 sam. Ad testamenta deinde uenit: non
 permittit autem liberam testandi facul-
 tatem, præsertim si testamenti factio di-
 lata sit ad extremum usq; uitæ tempus.
 Ait enim homines moribundos non so-
 lum esse difficiles atq; morosos, uerum
 etiam sæpenumero testari contra leges
 atq; mores, & eorum, quos in primis cu-
 rare debebant, utilitatem, & inepta que-
 dam præcipere non rarò, quando iam est
 morte luctantur. hæc autem minimè
 seruanda esse, ac simul reprehendit præ-
 scos legumlatores, quòd morientibus
 nimium indulserint. Itaq; legem ipse
 consti-

constituit de successiōibus uel ex testa-
 mento, uel ab intestato: et testatorem
 ait, posse ex filijs eum quem uelit, hæ-
 redem instituere, reliquis aut in adopti-
 onem datis, aut bonorum aliqua pars
 te legata. Quod si filias tantum ha-
 beat, iubet ut quem uelit generum, ei,
 cui uelit filia, adsciscat, eumq; hære-
 dem faciat. Si nullum habeat filium,
 permittit, ut quem uelit, arroget. Cum
 quis moritur intestatus & filias relin-
 quit, uult ut proximus agnatus aliquam
 ex eis in matrimonium ducat, & hæredi-
 tatem adeat. Quod si nullis relictis li-
 beris decesserit intestatus, proximis a-
 gnatis desert ius succedendi. Quantum
 ad tutores pertinet, eos qui testamento
 sunt dati, primo loco, deinde proximos
 agnatos, & postremo, datos à magistra-
 tu, iubet administrationē obtinere, ijsq;
 grauius commendat salutem pupillo-
 rum, ut qui dñs facturi sint rem longē
 gratissimam, si bene, uehementer autem
 ingrata, si male in eo munere uersentur:
 nec enim minus debere illos complecti
 & amare, quā suos ipsi liberos amant.
 Quod si filius emendari nolit & sit in-
 tractabilis, iam patri licet conuocatis
 primum

SUMMA PLATONIS

primum cōsanguineis atq; propinquis,
 eorumq; sententijs condemnatum abdi-
 care, & ē familia eiicere. Filio quoq; licet
 patrem decoctorem modeste ac reueren-
 ter ad magistratum incusare, qui re co-
 gnita illum cohibeant, ne ei bonorum
 administrationem concedant. Diuor-
 tium permittit ijs, qui simul uiuere non
 possunt: uerum ita, ut si non habeant li-
 beros, matrimonium denuo contrahant
 quicum uelint. Ne quis cum serua sua,
 neuē domina cū seruo suo rem habeat,
 grauiter uetat, exiliij pœna constituta.
 Parentibus iubet honorem impendi, &
 deos hoc officium à nobis flagitare, ut
 qui parentum preces, de liberis conque-
 rentium, dubioprocul exaudiant. Eius
 rei documentum adducit, Oedipum,
 Amyntorem & Theseum: nam horum
 filios, propter imprecatiōes ipsorum, in
 summas incidisse calamitates, demon-
 strat. Veneficos, qui uel hominibus uel
 iumentis & pecudibus, quacunq; ratio-
 ne nocent, ē medio tolli iubet. Maledi-
 cos & conuiciatores uult coherceri, le-
 gemq; statuit, ne quis conuicietur, ue-
 rum ut res corā iudice potius disce-
 pteretur. Atq; hic per occasionem memi-

nit po.

nit poetarum comicorum & satyricorū,
quos etiam coerces, nisi cum sine ira &
iocosè ridiculum quid proferunt. Seri-
um autē & stomachosum, nequaquam
admittit. Mendicos omnes iubet exter-
minari. Si quadrupes pauperis fecerit,
dominum iubet prestare damnum. Te-
stem, eum uidelicet qui testificari possit,
ait cogendum esse ut testimonium dis-
cat, aut praestito iureiurando, quod non
possit, dimittendum. Qui ter falsum te-
stimonium dixerit, eum capite plectit.
Postremo, grauiter taxat rabulas foren-
ses, qui uel auaritia uel ambitione addu-
cti, calumnias nectunt, & litem ex lite se-
runt. Quod si ambitione faciant, iubet
illis ad certum tempus interdici omni a-
ctione: si uero auaricia, distinguit, & pe-
regrino quidem exilij perpetui poenam
indicit, ciuem uero capite mulctat, atq;
idem etiam statuit de eo, qui bis per am-
bitionem peccarit. Duodecimus &
postremus liber uaria quoq; continet, &
primò quidem iubet, ut qui mittuntur
aliquò legati, bona fide mandata perfici-
ant: qui secus fecerint, ut ñ tanquam
Iouis atq; Mercurij contemptores, pro
magnitudine delicti puniatur. Furtum,
siue

SVMMA PLATONIS

siue paruum sit siue magnum, pari sup-
 plicio plectit, & non tam ipsum factum
 quam uoluntatem punit. Seruum aut
 peregrinum, furem, iudicis arbitrio per-
 mittit: cuius omnino uult capite mulcta-
 ri, quod in tali repub. institutus, tanto
 scelere se contaminauerit. Pecuniae fur-
 tum illiberale esse dicit, rapinam uero
 turpissimam. Vitam solitariam impro-
 bat, & societatem uult esse hominum in-
 ter se. Adolescentes ait inde a teneris
 annis assuefaciendos, ut quam parcissi-
 me cibo utantur, ut frigus & aestus & cu-
 bilis duritiem leniter ferant, ut ne caput
 atque pedes, alijs, quam ijs quae natura
 dedit, tegumentis corrumpanit. Extre-
 ma enim illa membra, maximas toti cor-
 pori utres praebere ac communicare, cum
 a sua natura non deducuntur. Eum, qui
 iubente imperatore militiam aut des-
 trectat aut negligit, iubet a commili-
 tonibus accusari, atque ita puniri, ut nec
 ad militiam ullam post admittatur, nec
 alios neglectae aut desertae militiae, pos-
 sit accusare. Qui militiae fortiter ac
 praclare se gessit, uult honorari donis
 & corona laurea, quam deinde belli du-
 ces in deorum templis cum inscriptio-
 ne &

ne & titulo suspendant, ut sit perpetuum uirtutis monumentum. Qui militiam & ordines deserit, qui uè arma proijcit, grauius punit: iudicibus autem & magistratui militari uidendum esse, ne quem temere puniât, sed causam proiectionis armorum diligenter inquirant. qui enim aut casu fortuito uel coactus arma perdidit, eum absoluit. Exempli causa Patroclum adducit, quem interfectum, armis, nudauit Hector, hunc si quis deinde repertum sine armis criminatus fuisset ut ignauum & desertorem, magna sanè affecisset iniuria. Transit deinde ad repetundarum iudicium, cui qui præsideant, hos ait oportere esse homines integerrimos. Per occasionem postea meminit Rhadamanthi, eumq; fuisse dicit incorruptum iudicem, & celeriter peregisse iudicia, & litigantes iureiurando in omnibus causis adegisse. Magnam enim tunc fuisse hominum integritatem, & perurium illos uehementer exhorruisse, propterea quòd de dijs optime sentirent, eosq; & regnare, & humana respicere, & impietatem grauius punire crederent. Nunc autem longè aliam esse rationem obseruans

SVMMA PLATONIS

obseruandam in iudicijs, & quia mutatae sint hominũ de dijs opiniones, ac corruptiores facti mores, ait leges quaeque mutandas. Nam si iurare cuique liceat, fore ut plerique omnes euadant periuri, iudicem ergo non debere permittre litigantibus, ut uel iurent, uel male sibi generique suo precentur, uel turpiter & ignaue supplicent, uel muliebri quadam utantur commiseratione, uerum ut causam suam plane dicant. Peregrinis autem permittit iusiurandum, nec enim esse metuendum, ut alios corrumpant, qui in ciuitate non possint inueterascere. Postea loquitur de peregrinationibus, et ait fieri non posse, quin homines ultrò citroque comment: crudele etiam esse atque superbum, uelle hunc morem inducere, ne uel aduenae recipiantur, uel ipsi aliquò proficiscantur, ideoque modis omnibus cauendum esse, ne qua ciuitas in uitium hoc & criminationem incurrat, ut & peregrinorum hostis, & difficilis & inhumana uocetur, neque contemnenda esse aliorum de nobis iudicia. Quapropter eos, qui ocio abundant, & aliorum hominum res atque mores uidere cupiunt, non uult lege ulla prohiberi

hiberi. Ciuitatem enim, quæ solitaria
 sit, & quid boni aut mali sit apud exte-
 ras gentes, ignoret, à perfectione aut lon-
 gius abesse. Qui hominum cognoscen-
 dorum causa peregrinantur, uult esse
 non minores annis quinquaginta, neq;
 diutius abesse, quàm decem annis. Vbi
 domum redierint, iubet diligenter ex-
 plicare senatui, quid uel in legibus uel es-
 ducatione uel disciplina egregium &
 memorabile uiderint apud exteros, ut
 hoc ipsum deinde, si probatum fuerit, in
 repub. recipiatur. Aduenas igitur &
 peregrinos, ab alijs ad nos uenientes, iu-
 bet humaniter excipi. sed ex ijs quosdam
 esse dicit estiuales, qui tempus idoneum
 nacti commeant huc illuc, alios bona-
 rum artium causa proficisci: quosdam
 uerò publicè mitti legatos, ijsq; magnū
 esse tribuendum honorem à magistra-
 tu. Quantum ad possessiones attinet,
 ita distinguit, ut qui in urbe, foro, sac-
 cris & palam aliqua re fuerit usus, anni
 spacio, qui in agris, publicè, quinquen-
 nij, qui in urbe, domi, non apertè, tri-
 nij, qui in agris domi & occultè, decen-
 nij tempore, ius in eam rem præscriptio-
 nis habeat, neque post illud tempus dos-

SUMMA PLATONIS

mino sit integrum, repetere, sed extra fi-
 nes regionis ei liceat recuperare & ap-
 prehendere, quouis etiam tempore. Qui
 rem furtiuam domi suæ receptat, in eo-
 dē est crimine, quo fur ipse. Qui proscri-
 ptum aut exulem recipit, eum capite ple-
 ctit. quem enim ciuitas aut resp. inimicū
 pronunciauit, eum non licet ulli ciui ha-
 bere pro amico. Cum uel de pace uel bel-
 lo uel inducēis tractatur, debet interue-
 nire communis omnium consensus.
 Iudiciorum alia dicit esse priuata, alia
 publica. inter priuata numerat arbitros
 uel conciliatores, uicinos & tribules.
 Publica sunt magistratus, de quibus an-
 tea dixit, eosq; uult memoria tenere le-
 gum decreta. simul ostēdit esse quādam
 affinitatem et uocis et significationis in-
 ter νόμου legem, & νόον, mentem. Mor-
 tuis uult fieri parentationes, eorumq; se-
 pulturę iubet deligi locum, non in ferti-
 li aliquo agro, sed eiusmodi, qui nulli
 præterea rei sit utilis. nec enim terrę ma-
 tris fecunditatem esse minuendam.
 Sumptus funebres uult esse moderatos,
 pro cuiusq; censurā: non enim hominē ibi
 sepeliri, sed simulachrū hominis, corpus
 ipsum & cadauer; uerum autem homi-
 nem, animam uidelicet corpore solutā,

proficisci aliquò ad deos, operum suorum rationem redditurã. Atq; hoc quidem in loco finem imponit legibus. sed unum ait desiderari, & illud quidem maximum. Nec enim satis esse, leges constitui, sed oportere, ut firmę sint, & magno studio seruentur, & insit illis quaedam uis immutabilis. Causam uerò mutationis legum ait esse, quòd legumlatores nō semper eundem scopum respiciunt. Alios enim eò spectare, ut pauci quidam in repub. dominantur, alios, ut dite scant, siue seruiant, siue non: alios, ut liberi sint, alios ut non solum libertate fruantur, sed imperium quoque suum amplificent, & uicinas urbes subigant. Monet autem, ut respublica sibi propositum semper habeat unum aliquem finem, quo sua omnia consilia dirigat. simul hortatur, ut ex magistratu quotidie conueniant aliqui natu grandiores, qui singuli iuuenem aliquem, triginta natum annos secum adducant, & ante solis ortum prima luce sermonem inter se conferant de republica, & ut iuuenes ea quę senibus probantur, magno studio discant. In Epinomi percurrit uarias artes atque scientias, hominum usui neces-

SYMMA PLATONIS

sarias, agriculturam, pistoriā, archite-
cturam, fabrilem, figulinam, texturam,
nauticam, uenatoriā, pistoriā, mili-
tarem, medicam, iuridicam, & quęcunq;
sunt alię, sed eas inquit non hoc posse
pręstare, ut aliquis euadat sapiens. A-
rithmetice uerō & Mathematicę &
Astronomiā ait esse tales, ut qui in
ipsis bonam operam nauarit, eum effici-
ant sapientem, ut & de animę immorta-
litate & de dijs rectę sentiat. quo qui-
dem nihil sit pręstantius. Nullam enim
in humano genere posse maiorem inue-
niri uirtutem, religione & pietate in De-
um. His ergo, qui sic instituti sint, & na-
turam habeant non uitiosam, ait sum-
mos debere committi magistratus, cum
ad senectutem peruenerint, et tales oportere esse illos, qui in antelucanum conci-
lium uenturi sunt, in quo, uelut in an-
chora, salutem rei publicę positam esse
dicit. Atq; ut deorum pręstantiam de-
monstret, multa disserit de animę pro-
prietate. Quinq; autem ponit corpora,
ex quibus ait cuncta prouenire, terram,
ignem, aquam, aërem & æthera. Post, de
planetis & syderum ratione uerba facit,
eamq; doctrinam ait a Barbaris ad Grę-

eos esse deportatam, ubi & hoc addit,
 Græcos habitare in regione, ad uirtu-
 tem longè opportunissima, quòd inter
 hyemalem naturam & æstiuam media
 sit: & quòd ab æstiuâ serenitate longius
 ipsi distent quàm Barbari, idcirco tar-
 dius apud ipsos, ait hanc scientiam exci-
 tatam esse: Græcos tamen, quicquid à
 Barbaris accepissent, melius explicasse
 quàm illos. Postremo, in ijs, quæ ad De-
 orum sacrificia pertinent, non uult legis-
 latorem immutare quicquam, & cauend-
 dum dicit, ne ad nouum minus certè re-
 ligiõis cultū homines assuefiāt, sed quæ
 patria lege uel cõsuetudine, de sacrifican-
 do confirmata sunt, ea iubet immota cõ-
 seruari. In eo dialogo, qui Minos in-
 scribitur uel de lege, rogat ex Minoë
 quodam Socrates, quid sit lex? Ille re-
 spondet esse eam, quæ sit lege recepta &
 approbata. Definitionem hanc refellit
 Socrates, ut impropriam & absurdam.
 Tum ille, esse ciuitatis institutum atque
 decretum. Ne hoc quidem Socrates ad-
 mittit, quædam enim esse bona, quædam
 uerò mala ciuitatis decreta. sed ipse de-
 mum definiens ait legem esse ueritatis
 inuentionem. Refutatur hoc à Minoë,

ΣΥΜΜΑ ΠΛΑΤΟΝΙΣ

quòd homines non semper eisdem utantur legibus. longè enim alias esse per Græciam, quam in Africa, & maiorum leges multum esse diuersas ab ijs quæ nunc sint in usu. Respondet Socrates, & ait ea quæ iusta sunt et honesta, ubiq; esse iusta et honesta. Legum uerò promulgatione non esse cuiusuis, uerum eius tantum, qui sciat quid in singulis rebus iustum & iniustum sit, qui teneat ciuitatis ordinem & gubernandi rationem. Idcirco enim esse et nominari leges, quòd constituantur ab ijs, qui peritiã habent: quemadmodum & medicorum & geometriarum & agriculturæ leges dicuntur, hoc est, decreta, quæ fiunt ab huiusmodi rerum peritis. Posthæc loquitur de Lyncurgo, qui Lacedæmonijs dederit leges, mutatus eas à Cretensibus. quorum fuerint præfecti Rhadamanthus & Minos, Iouis ex Europa filij. Cunctq; ille diceret, Minoem male audire, ut a grestem & durum hominem atq; etiam iniustum: Socrates eum obiurgat, quòd de Deo minus rectè sentiat, cumq; demonstrat, optimum fuisse uirum, atque id probat authoritate Homeri, qui dicit eum per annos nouem fuisse ipsius Iouis *ἀγαθὸν ἄνδρα* hoc est

hoc est, collocutorem & auscultatorem. Qui secus hanc uocem interpretentur, eos errare, nec enim fuisse Iouis aut com-
potorem aut collusorem, & grauius illum præcepisse Creten-
sibus, ne composarent ad ebrietatem, non esse ergo cre-
dibile, ut cum turpem iudicaret temu-
lentiam, aliud ciuibus mandarit, aliud
ipse fecerit; hoc enim esse improborum
hominum. sed Minoem, quandiu Cre-
tensibus præfuit, collocutum esse fami-
liariter cum Ioue, ab eoq; leges didicisse,
quibus floruerint Creten-
ses, ac post eos Lacedemonij. Causam uero, quod
Minos, ut agrestis & parum etiam ius-
tus, male audiat Athenis, ait hanc esse,
quod bellum Atheniensibus intulit, ijsq;
deuictis tributum imperauit ualde in-
humanum, septem scilicet pueros, quo-
tannis. Ad hanc autem seueritatem fuisse
illum adactum criminationibus &
conuicijs poetarum. hos enim perma-
gnam habere uim in utramq; partem, et ad
laudandum & ad uituperandum, ideoq;
illum cui fama & nominis existimatio
curæ sit, iubet cauere, ne poëtas habeat
aduersarios. Minoem uero reliquis om-
nibus præfert, & usum esse dicit Rha-

SVMMA PLATONIS

damantho. ueluti legum uindice per
 Gnoson urbem, Tallo autem, per totam
 insulam. Hunc enim ciuitates omneis
 ter in anno adijisse, & ubicunq; opus es-
 set, emendasse omnia, sculptis idcirco le-
 gibus in tabulam æream, & palam pro-
 positis, ut ne quis eas ignoraret. Fuisse
 quoq; uirum bonum Minoem, ex eo
 probat, quod in ipsius legibus nihil fue-
 rit immutatū, quod ab omnibus haberē-
 tur magna æquitate esse conscriptæ. Po-
 stremo, quærit quid medicus præcipiat
 ualitudinis tuendæ causâ: cunq; ille di-
 ceret, nutrimentum & corporis agitatio-
 nem atq; motum, nunc remissiorem,
 nunc uehementiorem: rogat, quid le-
 gislator & populi pastor adhibere de-
 beat, quò suorum hominum mores & a-
 nimos meliores faciat? cunq; præsens
 responsum Minos non haberet, ait pu-
 dendum esse, scire aliquem quid ualetur-
 dini & corpori sit necessarium, quid au-
 tem animæ conferat, ignorare. In eo qui
 Politicus inscribitur, uel de regno, qui li-
 bros de republicâ & legibus antecedit,
 declaraturus, quàm sit insigne munus,
 præesse alicui reipublicæ, & quibus re-
 bus oporteat eum, qui bene gubernare
 uelit

uelit, instructum esse, principio diuidit
 scientias, & aliam esse dicit theoreticam,
 aliam uerò practicam. Eius qui tempus
 administrat, functionem ait esse theo-
 ricam magis quàm practicam. Manus
 enim & reliqua corporis membra pro-
 penihil conferre, prudentiam uerò & a-
 nimi robur, quàm plurimum: Archite-
 ctum etiam uix unquam uti ministerio
 manuum, sed ijs qui manibus utuntur,
 præesse. Theoricam deinde diuidit in
 iudiciariam & imperatoriam. & quoni-
 am plures in repub. sunt qui mandant
 aliquid & præcipiunt, apparitores, præ-
 cones & id genus alij: idcirco, quemad-
 modum caupo differt ab eo, qui propri-
 um opus uendit, sic etiã a rege inquit
 differre præconem, qui regis mandatũ
 alijs ipse pronunciat & mandat. Po-
 stea descendit ad prolixam diuisionem
 eorum omnium quæ generantur. Quæ-
 dam enim, inquit, sunt animata, quædam
 inanimata, de quibus nihil præterea lo-
 quitur, sed animata paritur in hominẽ
 & bruta, quorum aliud est ferum, aliud
 mansuetum, aliud aquaticum, aliud ter-
 restre, & in his aliud uolatile, aliud gra-
 diens, horum autem aliud solida, aliud

SUMMA PLATONIS

bifida unguis, cornutum aliud, aliud
 absq; cornibus, aliud promiscue gene-
 rans, ut equi, asini, muli, aliud in suo tan-
 tum genere: aliud bipes, aliud quadru-
 pes, bipedum aliud pennatū, aliud im-
 plume, quod ad hominē propriē refert.
 Hoc aut in loco diuertit ad fabulam &
 recitat, quomodo mundus initio fuit gu-
 bernatus à daemonibus, et quā scelicia
 quanq; aurea tunc fuerunt sæcula, cum
 nihil esset incustum aut agreste, cum tel-
 lus ipsa sponte uictū & omnia præberet,
 quum nulla uis, nullum bellum interce-
 deret, cum absq; legibus honeste et amice
 uiueretur. Talem fuisse mundi facis-
 em, quo tempore Saturnus uixit: ab eius
 uero morte ait homines demonū custo-
 dia & prouidentia destitutos, cum in o-
 mnium rerum conuersione, mutatis etiā
 brutorum naturis & efferatis, expositi
 essent uarijs periculis, excogitasse in sum-
 ma necessitate, quæ ad tuendam uitam
 conferrent. Sed ne hac quidem in par-
 te aliquid præstare potuisse absque deo-
 rum auxilio. nam à Prometheo fuisse in-
 uentum ignem, artes autem à Vulcano,
 & rationē colendæ terræ seminumq; ab
 alijs demōstratam esse. Redit deinde ad
 proposi-

propositum, & ait functionem eius, qui
 præest hominibus, ualde esse illustrem.
 et licet multi alij nomen hoc usurpare si-
 bi uelint, quasi populi sint pastores atq;
 nutritij, cuiusmodi sunt mercatores, a-
 gricolæ, gymnastæ, medici, eò quod ui-
 ctum subministrant et ualitudini consu-
 lant, tamen ei soli proprium esse nomen
 illud, qui populum legibus moribusq;
 regit. Eum uerò sic describit, ut dicat ar-
 te quadam imperare, neq; referre an uo-
 lentibus imperet an inuitis, an ex scrip-
 to, nec ne, pauper sit an diues. Ut enim
 medicus & habetur & uerè dicitur, qui
 morbos quocunq; modo depellit, &
 ægrotos ualitudini restituit: ità etiam
 qui populi salutē procurat, eoq; solum
 respicit, hunc ait legitimum esse princi-
 pem atq; magistratum. Posthæc recen-
 set formas respUBLICÆ, & Monarchiam,
 si cum legibus coniuncta sit, optimam
 esse dicit: quòd si uerò legibus non uti-
 tur, grauissimã esse populo demonstrat.
 Inter legitimas reipub. formas, demo-
 cratiã ait esse deterrimã, inter ini-
 quas autem, longe optimã. Post regis
 am aut ciuilem scientiam proximè po-
 nit artem rei militaris, deinde Iudic-
 ciam

SVMMA PLATONIS

ciariam & Oratoriam, quas ait legum
esse custodes atq; ministras. Quod eti-
am supra dixit in libro de legibus, idem
hic tractat, oportere uidelicet naturam
esse mixtam atq; temperatam, necq; sin-
gularem aliquam in nobis luxuriari. qui
enim ingenio sit nimium pudente atq;
modesto, euadere molliusculum: in quo
autem animi robur & audacia paulo sit
maior, eum ad feritatem magis propen-
dere quam humanitatem. Itaq; dandam
esse operam, ut eorum, qui matrimonia
contrahunt, naturæ sint dispares

atq; diuersæ, ut quod in uno

uidetur esse nimium, al-

ter coniugum mo-

deretur atq;

leniat.

F I N I S

ERRATA.

	Pag.	Vers.	Lege
B	2	23	<i>tribuni militum</i>
B	8	1	<i>longinquitate</i>
C	4	26	<i>iuris</i>
D	6	10	<i>nobilitatem</i>
E	15	24	<i>quidem illis,</i>
L	17	18	<i>evadere</i>
M	3	11	<i>virulentam</i>





